SUMMARIUM HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

AD USUM ALUMNORUM MAJORIS SEMINARII MARIAPOLITANI

AUCTORE

HENRICO JEANNOTTE

presbytero Sancti Sulpicii

(I - VII saec)

MONTREAL
1918

SUMMARIUM
HISTORIAE ECCLESIASTICAE

SUMMARIUM
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

AD USUM ALUMNORUM MAJORIS
SEMINARII MARIAPOLITANI

AUCTORE

HENRICO JEANNOTTE

presbytero Sancti Sulpicii

(I - VII saec)

MONTREAL
1918

Nihil obstat.

22 Januarii 1918.

CAROLUS LECOQ,

Censor deputatus.

Imprimatur.

26 Januarii 1918.

†PAULUS Arch. Marianopolitanus.

DISCIPULIS CHARISSIMIS

HISTORIA ECCLESIASTICA

INTRODUCTIO

§ 1. Notio, utilitas, methodus, fontes, divisio Historiae Ecclesiasticae (1)

1. NOTIO. Historia in genere est scientia seu cognitio certa rerum gestarum et earumdem narratio.

Historia ecclesiastica est scientia rerum gestarum Ecclesiae, id est, societatis a Jesu Christo fundatae ad salutem hominum procurandam. Haec enim societas, etsi spiritualis est, munus exercet per homines et inter homines, immutationi in tempore et in loco subjicitur, et ideo historiam habet.

Materia historiae ecclesiasticae sunt quaecumque digna memoriae gesta sunt, tum a pastoribus seu ab Ecclesia docente, tum ab Ecclesia discente seu a fidelibus, in ordine ad finem societatis obtinendum. Narrandum est enim ex una parte quomodo evangelium salutis, allatum a Christo, propositum fuerit hominibus, quomodo fuerit ab eis acceptum, quibusque obstaculis occurrerit. Aliunde Ecclesia, ex ipsa voluntate Fundatoris, non fuit statim ab initio completa et perfecta, sed sicut granum sinapis orta (2), crevit in ingentem arborem. Progressus igitur et evolutio ejus doctrinae, cultus, disciplinae, regiminis, administrationis, ab historia praetermitti non debent, quemadmodum in narratione memorabilium amplissimi viri non negligitur expositio evolutionis ejus facultatum et, ut aiunt, ejus formationis. Duplex itaque distinguitur objectum historiae ecclesiasticae: unum quod attinet ad evolutionem internam et progressum Ecclesiae, alte-

(1) De Smedt, *Introductio generalis ad historiam ecclesiasticam critice tractandam*, Gand, 1876; *Principes de la critique historique*, Paris, 1883; Langlois et Seignobos, *Introduction aux études historiques*, Paris, 1899.

(2) *Mt.*, 13, 31.

rum quod respicit actionem externam et adimpletionem ejus missionis.

Decursu temporum, concurrentibus variis circumstantiis, Ecclesia facta est regnum temporale, societas politica. Narratio rerum gestarum Ecclesiae quatenus est societas politica minus proprie pertinet ad historiam ecclesiasticam stricte sumptam, sed potius ad historiam generalem et civilem. Attamen omnino omitti non debet; caeterum facta plerumque ita intime connectuntur ut in expositione vix separari possint.

Objectum formale historiae ecclesiasticae, sicut et omnis historiae, est ipsa ratio facti, realitas factorum. Historia nihil aliud sibi proponit nisi ut sciatur et narretur utrum et quomodo hoc vel illud actum fuerit. Numerum martyrum, e. g., considerat tam apologeta quam historicus vir. Apologeta ex ingenti martyrum numero validam probationem divinitatis religionis christianae deducere conatur, historicus autem vir nil aliud quaerit nisi veritatem circa hoc factum; quum autem numerum certum assecutus erit et dixerit, munus suum implevit et tacet. Si quid amplius addiderit, non historici, sed apologetae aut philosophi partes agit. Facta tamen non nuda, sed suis vestita causis et consequentiis in ordine factorum considerare debet. Ad ipsum insuper pertinet laudare bona et reprobare mala absque studio partium, et ad hoc generatim sufficit ut narret res prout gestae sunt. Divulgatio enim virtutis retributio est, sceleris autem justa punitio. Propterea solam quidem veritatem, totam vero veritatem dicere debet. (1)

2. UTILITAS. Si fidem habeamus Ciceroni, qui historiam esse "magistram vitae" dicit (2), illa praesertim historia quae vere universalis est amplectiturque omnes populos et omnia saecula, diligentis studii nostri objectum esse debet. Jamvero christiano homini maximeque sacerdoti non licet

---

(1) "Illud in primis scribentium observetur animo, *primam esse historiae legem, ne quid falsi dicere audeat, deinde, ne quid veri non audeat; ne qua suspicio gratiae sit in scribendo, ne qua simultatis*". Leo XIII, *Epist.*, 18a Aug. 1883, commemorans Cic., *De Orat.*, 2, 15.

(2) Cic., *De Oratore*, 2, 9.

ignorare praecipuos eventus vitae Ecclesiae, per quam genus humanum summa bona accepit. Juxta Melchiorem Canum, "rudes sunt theologi illi in quorum lucubrationibus historia muta est" (1). Scientia enim historica utilissimum vel etiam necessarium complementum sacrae theologiae est. Nam historia Ecclesiae est apologia religionis christianae: origo, propagatio et conservatio ejus per saecula est "divinae suae legationis testimonium irrefragabile" (2). Argumenta Traditionis, quandoque etiam argumenta Scripturae, non bene intelliguntur nisi in lumine historiae. Experientia saeculorum docente, moralista media instaurandae disciplinae addiscit, mentisque gravitatem acquirit, qua a rigidioribus conclusionibus refugit. Caeterae disciplinae ecclesiasticae, ut jus canonicum, liturgia, etc., intime commiscentur vitae Ecclesiae et perpetuo supponunt cognitionem ejus historiae.

Denique, inimici Ecclesiae objectiones suas ex historia praesertim desumunt. Jamvero, cum facta aut pervertant aut male interpretentur, generaliter sufficit res recte exponere ut inanitas objectionum appareat. Ecclesia lucem non timet, et nonnisi veritate indiget. Modernistarum schola, philosophicis decepta praejudiciis, Ecclesiam ut inventum sensus religiosi humani explicat et erroneam factorum interpretationem perpetuo proponit. Horum perversum sensum sola cognitio historiae potest detegere et redarguere.

3. METHODUS. Cum scientia historica sit de rebus gestis et totaliter pendeat a testimonio coaevorum, methodus cui omnino adhaerere debet est exclusive methodus a posteriori. Historicus igitur debet interrogare omnes testes factorum narrandorum et juxta eorum testimonium narrationem suam conficere nec unquam imaginationi indulgere. Sed non debet inconsiderate omnibus credere: debet in primis *criticen fontium* instituere, id est inquirere de auctoritate testium, nempe de eorum scientia et veracitate.

Tres conclusiones sunt possibiles: aut testes desunt, vel, si adsunt, aut concordant vel sibi contradicunt mutuo. Quodsi

---

(1) Mel. Can., *De locis theologicis*, l. 11, cap. 2, 1.

(2) Conc. Vat., Sess. 3, cap. 3. Denzinger-Bannwart, 1794.

testes desint vel nullus sit eorum valor, non datur locus affirmationi aut negationi: non constat historice. Si testes sibi mutuo contradicant, res remanet dubia vel probabilis juxta pondus testimoniorum. Si testes fide digni affirment aut negent, affirmandum est aut negandum. Ne quid igitur affirmare audeat historicus, praeter ea quae legitime hauriuntur ex fontibus.

Attamen historia non est scientia independens: est enim fallibilis sicut testimonium humanum a quo pendet. Ejus conclusiones subjiciuntur judicio disciplinarum superiorum philosophiae et praecipue theologiae (1).

4. FONTES. Testes quorum testimonium invocari potest vocantur fontes historiae. Constant ex omnibus documentis e quibus erui potest cognitio rerum gestarum.

Dividuntur in documenta scripta, et non scripta, monumenta scilicet et traditiones. Rursus documenta scripta sunt vel privata vel publica seu authentica, ab auctoritate prolata.

Major pars horum fontium a doctis viris in collectionibus coadunati et editi sunt, sed non pauca in lucem nondum prodierunt et latent in archivis et bibliothecis tam privatis quam publicis.

Praecipui fontes historiae ecclesiasticae, sunt sequentes: 1) Scriptores ecclesiastici. Collectio omnium maxima et utilissima est Patrologia Migne, latina, 221 vol.; graeca, 161 vol., Parisiis, c. 1850. Editiones magis accuratae Vindobonae pro latinis, Berolini pro graecis scriptoribus publici juris nunc fiunt. Auctorum orientalium opera etiam in corpore eduntur Lovaniensis et Washingtoniensis Universitatis cura (2). 2) Acta conciliorum. Plures sunt collectiones sive

(1) Cf. Pius X, *Litt. enc. "Pascendi" contra Modernistas*, Denzinger-Bannwart, 2084-2085.

(2) Migne, *Patrologia latina usque ad Innocentium III* (1216), 121 vol., Paris, 1844 ss. — *Patrologia graeca usque ad saec. XV*, 161 vol., Paris, 1857 ss. (P. L., P. G.) — *Corpus scriptorum ecclesiasticorum latinorum*, Vindobonae, 1866 ss; c. 60 vol. edita (1915). (CSEL). — *Die Griechische Schriftsteller der ersten drei Jahrhunderte*, Berolini, 1897 ss. (CB). — Gebhart, Harnack, Schmidt, *Texte und Untersuchungen zur Geschichte der Altchristlichen Litteratur*, Leipzig, 1883 ss.; (TU).—*Corpus scriptorum christianorum orientalium*, Parisiis, 1903 ss.; c. 100 vol. edita (1915).

generales sive particulares. Fere omnia inveniuntur in amplissima collectione Mansi (1). 3) Acta Summorum Pontificum. Multa fuerunt edita in Bullariis et Regestis (2). 4) Corpus juris canonici et juris civilis antiqui (3). 5) Conventiones inter Ecclesiam et Status civiles (4). 6) Acta martyrum et vitae sanctorum (5). 7) Vitae Summorum Pontificum antiquae (6). 8) Liturgiae, libri liturgici (7). 9) Symbola et definitiones dogmaticae (8). 10) Constitutiones ordinum religiosorum (9). 11) Catacumbae (10).

---

(1) Mansi, *Collectio*, 31 vol. fol., Florentiae et Venetiis, 1759-1798, Nova editio anastatica ad nostra usque tempora continuata, Parisiis, 1900 ss. — *Collectio Lacensis, Acta et decreta S. Concil. recentiorum*, 7 vol., Friburgi, 1870-1890. — Cf. Hefele-Leclercq, *Histoire des Conciles*, Paris, 1900, t. 1, p. 97-124. Art: *Conciles* in *Dict. Théol. Cath.*

(2) *Bullarium Romanum*, Romae, 1835-1857, 34 fol.; Torini, 1857-72, 24 vol. — *Regesta Pontificum Romanorum*, ad ann. 1198, ed. Jaffe, Berlin, 1851; 2a ed., 1885-1888; continuata ad ann. 1324, ed. Potthast, Berolini, 1874-1875. — *Les registres des papes*, publication de l'Ecole française de Rome, Paris, 1883 ss. (XIII et XIV sae.).—Kehr, *Regesta Pontificum Romanorum*, Berolini, 1906-1907. — Cf. art. *Bullaire* in *Dict. Théol. Cath.* — *Acta sanctae Sedis*, Romae, 1865 ss. *Acta Apostolicae Sedis*, ab anno 1909.

(3) *Corpus juris canonici*, ed. Friedberg, 2 v. in 4°, Leipzig, 1876-1881. — *Codex Theodosianus*, ed. Ritter, 6 vol., Lipsiae, 1737 ss. — *Codex juris civ. Justin.*, ed. Mommsen, 3 vol., Berolini, 1892 ss.

(4) Nussi, *Conventiones de rebus eccles. inter S. Sedem et civilem potestatem*, Moguntiae, 1871.

(5) Ruinart, *Acta primorum martyrum sincera*, Parisiis, 1869. — Le Blant, *Les actes des martyrs, Paris*, 1884 (supplementum praecedentis operis). — Bollandistae, *Acta Sanctorum*, 63, vol. in fol. (usque ad 4 Nov.), 1643 ss., nova editio, Parisiis, 1854 ss. — Hyvernat, *Actes des Martyrs de l'Egypte*, Paris, 1886. Leclercq, *Les Martyrs*, 12 vol., Paris, 1903-1913.

(6) *Liber Pontificalis*, ed. Duchesne, Parisiis, 1886-1892; ed. Mommsen, Berolini, 1896 ss.

(7) Cabrol et Leclercq, *Monumenta Ecclesiae liturgica*, Parisiis, 1902 ss. — Cf. Cabrol, *Introduction aux études liturgiques*, Paris, 1907.

(8) Schaff, *Bibliotheca symbolica ecclesiae universalis*, 3 vol., Neo-Eboraci, 1884. — Denzinger, *Enchiridion symbolorum et definitionum*, ed. 11a a Bannwart, Friburgi, 1911.

(9) Holstenius, *Codex regularum monast. et can.*, Romae, 1661, 4 vol. in fol.; auxit Brockie, 6 vol. Aug. Vind., 1759.

(10) Rossi, *Roma sotterranea christiana*, 3 vol. in fol., Romae, 1864- 1877.

12) Inscriptiones (1). Utilissimum enchiridion **fontium** historiae ecclesiasticae edidit Kirch (2).

Historicum multum juvant scientiae auxiliares et sunt ipsi aliquo modo necessariae. Praecipuae sunt: 1) Theologia et disciplinae connexae: jus canonicum, liturgia, etc. 2) Historia profana quae narrat eventus civiles parallelos. 3) Philologia: cognitio linguarum, linguae graecae et latinae pro studio majoris partis fontium necessaria est, linguae gallicae, germanicae et italicae, necnon et anglicae et hispanicae ad legendos libros de historia ecclesiastica tractantes. Scientia latinitatis et graecitatis medii aevi etiam necessaria est quoties agitur de documentis hujus epochae (3). Insuper qui vellet studere historiae ecclesiarum particularium, orientalium, verbi gratia, propriam earum linguam addiscere deberet. 4) Paleographia seu ars recte legendi manuscripta et eorum aetatem detegendi (4). 5) Diplomatica seu ars recte interpretandi diplomata, documenta publica (5). 6) Archeologia seu scientia monumentorum antiquitatis christianae et profanae, et artis christianae cognitio (6). 7) Geographia et

---

(1) Rossi, *Inscriptiones christ. Urbis Romae VII sae. antiquiores*, Romae, 1857, 2 vol. in fol. — Le Blant, *Inscriptions chrétiennes de la Gaule*, 3 vol., Paris, 1856-1892; *Nouveau recueil*, etc. Paris, 1892. — Hubner, *Inscriptiones Hispaniae Christianae*, Berolini, 1876. — Kraus, *Die christlichen Inschriften der Rheinlande*, Freiburg, 1890 ss.—Cf. CIL et CIG.

(2) Kirch, *Enchiridion fontium historiae ecclesiasticae antiquae*, Friburgi, 1910.

(3) Ducange, *Glossarium ad scriptores mediae et infimae latinitatis*, 6 vol., in fol., Parisiis, 1678; ult. ed., Favre, 10 vol., Pariis, 1882-1887; *Glossarium ad scriptores mediae et infimae graecitatis*, 2 vol., in fol., Lugduni, 1688.

(4) Reusens, *Eléments de paléographie*, Louvain, 1895. — Prou, *Manuel de paléographie latine et française du VI au XVII siècle*, 3 éd., Paris, 1892. — Thompson, *Hand-book of greek and latin paleography*, 3 ed., London, 1894. — *Specimina codicum graecorum, latinorum, orientalium, papyrorum, inscriptionum*, edita sunt cura Lietzman in usum scholarum pro modico pretio (6 M.), apud Marcus et Weber, Bonn.; 8 lib. et. (1915).

(5) Giry, *Manuel de diplomatique*, Paris, 1894.

(6) Marucchi, *Eléments d'archéologie chrétienne*, 3 vol., Paris, 1900-1903. — Leclercq, *Manuel d'archéologie chrétienne*, 2 vol., Paris, 1908. Michel, *Histoire de l'art chrétien depuis les premiers temps chrétiens jusqu'à nos jours*, Paris, 1905 ss. — Cabrol et Leclercq, *Dictionnaire d'archéologie chrétienne et de liturgie*, Paris, 1902 ss.; 37 fasc. prodierunt (1917).

chronologia, quae sunt veluti ambo oculi scientiae historicae (1). Chronologiae praecipuae sunt: Romana, ab Urbe Condita (U.C.) ab anno 753 ante Christum; Graeca, qua computant olympiadibus (4 an.), ab anno 777 ante Christum; cyclus indictionum, 15 annorum; christiana, a nativitate Christi, (a.C., p.C.), vulgata a Dionysio Exiguo, c. 526, (1 a.C. = 753 U. C.; 1 p.C. = 754 U. C.).

Enumerationi fontium operae pretium est subjungere nomina praecipuorum auctorum qui illis usi sunt et nomen sibi fecerunt in historia ecclesiastica scribenda. Pater historiae ecclesiasticae est Eusebius Caesareensis (+340) (2). Continuationem usque ad annum c. 430 scripserunt Socrates (3), Sozomenus (4), et Theodoretus (5), non tamen cum eadem auctoritate. In occidente Rufinus historiam Eusebii latine reddidit et complevit usque ad finem saeculi IV (6). Sulpicius Severus *Historiam Sacram* usque ad 400 scripsit (7). Cassiodorus *Historiam tripartitam* usque ad annum 518 reliquit (8).

Temporibus modernis citari potest Baronius, qui in *Annalibus* suis scribendis 30 annis laboravit (9). Ejus celeberrimum opus a diversis auctoribus continuatum et ad moderna usque tempora perductum denuo edunt Bari-Ducis et Parisiis (10). In Gallia saeculo XVII studiosi historiae ecclesiasticae plures et optimi inveniuntur. Scripserunt historiam universalem Natalis Alexander (11), Fleury (12),

---

(1) Heusi et Mulert, *Atlas zur Kirchengeschichte*, 1910. — Baudrillart, *Dictionnaire d'histoire et de géographie ecclésiastique*, Paris, 1912 ss.; 12 fasc. prodjerunt (1915). — *L'art de vérifier les dates*, ult. ed., Parisiis, 1818-1821. — Capelli, *Cronologia e calendario perpetuo*, Milano, 1906.

(2) P. G., t. 19; CB, ed. Schartz, 2 vol.; ed. Grapin, cum versione gall., 3 vol., Paris, 1905-1914.

(3) P. G., t. 67.

(4) P. G., t. 67.

(5) P. G., t. 82.

(6) P. L. t. 21.

(7) P. L., t. 69-70.

(8) P. L., t. 20.

(9) Baronius, *Annales ecclesiastici ab ann. 1 ad* 1198, 12 vol. in-fol., Romae, 1588-1607.

(10) 37 vol. in-4°.

(11) *Selecta hist. eccl. capita*, 30 vol., Parisiis, 1676 ss.

(12) *Histoire ecclésiastique*, 10 vol., Paris, 1691 ss.

Tillemont (1). Saeculo XVIII Orsi italice (2), saeculo XIX Rochrbacher (3) et Darras (4) gallice, nostris autem temporibus germanice Hergenrother (5) idem attentaverunt. Hefele germanice etiam praeclarissimam historiam conciliorum scripsit (6).

Vix inveniretur aliquis qui nunc attentaret scribere historiam universalem Ecclesiae: non sufficeret labor totius vitae. Abundant autem eximiae historiae particulares et, ut aiunt, monographiae, methodo vere scientifica conscriptae. Mohler (7), Alzog (8), Marion (9), Albers (10) et alii, compendia optima et notissima ad usum praesertim scholarum ediderunt. Mouret gallice historiam generalem diserte et erudite scribit, quae medium quoddam tenet inter compendium et historiam completam (11).

5. DIVISIO. In historia Ecclesiae dintingui possunt et debent aetates quaedam, determinatae eventibus gravioribus qui ordinarium cursum rerum mutaverunt. In istis aetatibus licet insuper distinguere facta minus gravia quae novam directionem rebus dederunt, quin tamen eam totaliter

(1) *Mémoires pour servir à l'histoire ecclésiastique*, 16 vol. Paris, 1722 ss.

(2) *Storia ecclesiastica*, 20 vol., Roma, 1746 ss.

(3) *Histoire universelle de l'Eglise catholique*, 29 vol., Paris, 1842-1849.

(4) *Histoire générale de l'Eglise*, 40 vol., Paris, 1861-1888 (eloquenter sed non critice).

(5) Nova editio curante Kirch, Friburgi, 1902 ss.

(6) *Conciliengeschichte*, 9 vol., Friburgi. Versio gallica, adjectis annotationibus optimis, opere et cura Domni Leclercq nunc editur, Parisiis, 1900 ss.; 13 vol. edita (1917).

(7) Vers. gall., Belet, 3 vol., Paris, 1868-1869.

(8) Multae sunt editiones hujus optimi compendii, ed. 10a germ., Mainz, 1882. Nec desunt versiones gallicae et anglicae.

(9) 3 éd., Paris, 1908.

(10) Neerlandice; gall. vers., Hedde, 2 vol., Parisiis, 1908.

(11) Paris, 1912 ss., 8 vol., quorum 7 jam edita sunt (1917).

alterarent, quaeque periodos constituunt. Distinctio aetatum et periodorum multum juvant mentem ad recte intelligendam historiam et ad illam celerius addiscendam.

Distinguuntur generaliter tres aetates in historia ecclesiastica. Prima, quae vocatur CHISTIANA ANTIQUITAS, decurrit ab ecclesia condita usque ad finem saeculi VII. Secunda vocatur MEDIUM AEVUM et decurrit a saeculo VIII usque ad finem saeculi XV vel initia saeculi XVI. Tertia, quam interim vocamus TEMPORA MODERNA, decurrit ab initio saeculi XVI usque ad finem saeculi XIX (1870).

In prima aetate, exponuntur initia Ecclesiae, ejus propagatio in mundo graeco-romano, primo inter persecutiones et postea auxiliante potestate civili, et transformatio mundi per Ecclesiam. Formationis et exstructionis aetas est; perficitur constitutio Ecclesiae, perpolitur dogma, evolvitur cultus, elaboratur disciplina. In duplicem periodum potest dividi: I. A Christo nato usque ad edictum Mediolanense (1-313): persecutiones imperii Romani. II. Ab edicto Mediolanensi usque ad synodum Trullanam (313-692): controversiae theologicae, magnae haereses christologicae et trinitariae, aetas aurea litterarum christianarum antiquarum, effectus salutaris actionis Ecclesiae in legibus et vita civili.

In secunda aetate (1), narratur propagatio Ecclesiae in gentibus barbaris Europae, germanicis et slavonicis. Ecclesia fit regnum temporale et intime uniuntur Ecclesia et Status. Oriens separatur ab occidente. Tres periodi distingui possunt: I. A synodo Trullana ad tempora Gregorii VII (692-1073): dum Ecclesia propagatur apud gentes germanicas, subjicitur potestati civili. II. A Gregorio VII ad Pontifices Avenionenses (1073-1305): Romanorum Pontificum summa potestas; aetas aurea scholasticae theologiae. III. A Pontificibus Avenionensibus ad initia protestantismi (1305-1517): irrepunt in Ecclesiam mores depravati et spiritus mundanus.

(1) Non omnes consentiunt in assignandis initiis secundae periodi, id est, Medii Aevi. Alii enim incipiunt ab Imperio Romano everso (476), alii a temporibus Gregorii Magni vel Muhammedi (590-630), alii denique a Carolo Magno imperatore (800), etc. Nil mirum; nam omnis haec periodus est velut transitus ab antiquitate ad medium aevum. Nos autem quasi mediam viam secuti sumus.

In tertia aetate, Ecclesia, aliquantisper perturbata e debilitata defectione ingentis numeri fidelium, mox roboratur et utitur novis mediis transvectionis et prelo ad diffundendum evangelium ad extremas usque partes terrae. Distinguuntur communiter duae periodi: I. Ab initiis protestantismi usque ad magnam perturbationem gallicam (1517 1789): interne reformatur Ecclesia, crescit externe. II. A perturbatione gallica usque ad Concilium Vaticanum (1789 1870): adventus democratiae, magis ac magis separantur Status ab Ecclesia, crescit auctoritas spiritualis Ecclesiae ac Pontificum Romanorum, Ecclesia cessat esse regnum temporale.

PRIMA AETAS (1-692).

ANTIQUITAS CHRISTIANA.

PERIODUS PRIMA (1-313).

A Christo nato usque ad edictum Mediolanense Constantini.

CAPUT PRIMUM

ECCLESIA TEMPORE APOSTOLICO. (1-c. 100).

---

§ 1. Conditio mundi tempore nativitatis Christi, fundatoris Ecclesiae.

6. CONDITIO POLITICA. 1) *Mundi in genere.* Totus orbis tunc cognitus imperio Romanorum subjiciebatur pacatusque erat. Augustus, usurpato nomine Imperatoris, regnabat, et veteris reipublicae libertatisque politicae antiquae vestigia vix remanebant. Centrum, immo summo totius imperii, Romae erat: cultiores mores, litterae, opes, artes. Ab Urbe omnia exibant, et ad eam omnia confluebant. Potentissima administratio reverentiam erga nomen Romanum et obtemperationem legibus ubique exigebat. In rebus publicis latine loquebantur, sed lingua graeca fere universim intelligebatur. "Graeca leguntur, aiebat Cicero, in omnibus fere gentibus" (1). Haec autem sine Divino consilio non facta sunt. "Per eam (Romam), inquit Augustinus, placuit Deo orbem debellare terrarum et in unam societatem reipublicae legumque perductum longe lateque pacare" (2).

---

(1) Cicero, *Pro Archia Poeta*, 10.
(2) Aug., *De civitate Dei*, 18, 22.

2) *Judaeorum in specie.* Et ipsi Judaei sub jugo Romanorum erant, libertate amissa. Herodes Magnus (3[...] a.C. — 4 p.C.), rex socius et amicus Romanorum, regnaba[t] in Palaestina, sed sub tutela Praesidis Syriae. Mortuo autem Herode, rerum potiti sunt Romani. Caeterum, Judaei numerosi inveniebantur in omnibus partibus imperii (1).

7. CONDITIO RELIGIOSA. 1) *Paganorum.* Omnes gentes, revelatione primitiva depravata, in errores turpissimos circa Divinitatem et cultum ei exhibendum deciderant. *Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt* (2). Polytheismum profitebantur omnes multique vana simulacra adorabant (3). Adoratores in spiritu, et praesertim in corde, desiderabantur; cultus erat exclusive externus et saepissime inhonestus. Scepticismus in doctis, idololatria in rudibus, superstitio apud omnes praevalebat.

2) *Judaeorum.* Judaei colebant verum Deum. Depositum revelationis primitivae, et revelationis successivae Scripturarum, religiose apud eos asservatum invenimus, sed plus minusve depravatum, praesertim quoad notionem Redemptoris promissi. Cultus eorum non erat nisi externus (4). In tres sectas dividebantur: Sadducaeos, Pharisaeos et Essenos. Sadducaei, plerumque opulenti, Romanis et moribus hellenicis favebant atque in materialismum propendebant. Traditionem et Providentiam et resurrectionem corporum (5) et immortalitatem animae (6) negabant. Pharisaei maxima apud populum auctoritate pollebant. Scrupulose Legi et traditionibus obtemperandum esse docebant, sed externe tantum, et relinquebant "quae graviora sunt legis, judicium et misericordiam et fidem" (7). Eorum hypocrisim Jesus reprobavit (8). Esseni asceticam vitam ducebant

---

(1) Cf. *Ac.*, 2, 9-11. — Batiffol, *l'Eglise naissante*, Paris, 1909, pp. 2-5.
(2) *Rom*, 1, 21.
(3) Cf. Lebreton, *Les origines du dogme de la Trinité*, Paris, 1910, t. 1, p. 4.
(4) Cf. *Is.*, 29, 13.
(5) *Mt.*, 22, 23.
(6) *Ac.*, 23, 8.
(7) *Mt.*, 23, 23.
(8) *Mt.*, 23, 13.

et Mosaicam legem cum multis fabulis heterogenis mixtam docebant et observabant. Caeterum pauci numero semper fuerunt.

8. CONDITIO MORALIS ET SOCIALIS. 1) *Paganorum.* Mores paganorum erant depravatissimi. Non mirum est si honestas morum parvipenditur ubi deficit Divinitatis et ultimi finis recta cognitio. Ipsa notio moralitatis et sanctitatis deturpata erat, quodque pholosophi rectum agnoscebant hoc non agebant. Ita Tullius: "Quotusquisque philosophorum invenitur qui sit ita moratus, ita animo ac vita constitutus, ut ratio postulat? Qui disciplinam suam, non ostentationem scientiae, sed legem vitae putet? Qui obtemperet ipse sibi, et decretis suis pareat?" (1). Hyperbolica forsan viderentur ea quae legimus apud Paulum, *Rom.*, 1, 26-32, de corruptione morum paganorum nisi similia vel etiam tristiora apud auctores paganos narrarentur. Sic Seneca: "Omnia sceleribus ac vitiis plena sunt. Certatur ingenti quodam nequititiae certamine. Innocentia non rara, sed nulla est" (2). Adulterium erat frequens. Necessaria erat lex nubendi et statutum erat praemium pro terna prole suscepta. Infantes non raro occidebantur. Suicidium non rarum erat et vita aliorum parvipendebatur. Abjectissima servitus ubique vigebat. Ludi crudeles et perniciosi publicis impensis fiebant.

2) *Judaeorum.* Apud plerosque Judaeos sanctitas sistebat in adimpletione externa et materiali litterae Legis e cujus tamen rigoribus sese liberabant puerilibus et ridiculis distinctionibus (3). Haec justitia pharicaica tegebat rapinas et immunditiam (4).

9. EXPECTATIO MESSIANICA. Attamen tam apud paganos quam apud Judaeos expectabantur tempora meliora. Hoc factum unicum in historia mundi a nullo potest dene-

---

(1) Cic., *Tusc.*, 2, 4.

(2) Sen., *De ira*, 2, 8. Cf. Tanquerey, *Syn. Theologiae Fund.*, ed. 14, Parisiis, 1911, p. 121 ss.

(3) Cf. Schürer, *Geschichte des judischen Volkes im Zeitalter Christi*, 3 auf., Leipzig, 1898, p. 491-496.

(4) *Mt.*, 5, 20; 23, 25.

gari. Nullus est sane qui neget Judaeos expectasse Messiam. Mulier samaritana sciebat *quia Messias venit* (1). Constat etiam ex tot scriptis apocalypticis quae tunc in lucem prodierunt (2). Quoad caeteros populos, notissima sunt testimonia Suetonii (3), et Virgilii (4):

Ultima Cumaei venit jam carminis aetas..
Jam nova progenies coelo demittitur alto...,

et Taciti (5): "Pluribus persuasio inerat, antiquis sacerdotum litteris contineri, eo ipso tempore fore ut valesceret Oriens, profectique Judaea rerum potirentur". Haec est *plenitudo temporis* (6), quo Ecclesia instituenda erat a Christo.

§ 2. Nativitas, vita et mors Jesu. Institutio Ecclesiae (5 a. C.-30 p. C.)

FONTES. Sola fere documenta e quibus possumus eruere cognitionem vitae Jesu sunt quatuor evangelia et reliquum Novum Testamentum. Haec documenta, historice considerata et seposita eorum inspiratione, praestantissima sunt et auctoritate primi ordinis pollent. Fere innumera sunt opera circa evangelia et vitam Jesu. Cf. Fouard, *Vie de Jésus-Christ*, 23 éd., 2 vol., Paris, 1914.

10. NATIVITAS. Jesus natus est in civitate Bethleem, prope Jerusalem, in Palaestina Syriae, Herode Magno regnante (7). De ipso anno ejus nativitatis disputatur. Dionysius Exiguus (+ c. 544) supputavit hunc annum esse 754 U. C. eumque fecit 1 post Christum natum (1 p. C.). Ab omnibus nunc admittitur Dionysium erravisse. Nam, teste *Mt.*, 2, 19, Jesus natus est Herode regnante (8). Porro ex Flavio Josepho (9), infertur Herodem mortuum esse anno

(1) *Jo.*, 4, 25.
(2) De quibus conferri possunt ea quae habet Lagrange, *Notes sur le messianisme au temps de Jésus*. *Revue Biblique*, 1906.
(3) *Vita Vespasiani*, 4.
(4) *Egl.*, 4, 4 ss.
(5) *Hist.*, 5, 13.
(6) *Gal.*, 4, 4.
(7) *Mt.*, 2, 1.
(8) Cf. *Lc.*, 1, 5.
(9) *Ant. Jud.*, 17, 8; *De bello Jud.*, 1, 21.

750 U. C. Jesus igitur certo natus est ante annum 750 U. C. Annus autem certus videtur non posse accurate determinari. Lucas quidem diserte dicit Jesum fuisse quasi annorum 30. anno 15 imperii Tiberii Caesaris (1), sed Tiberius socius factus est Augusti 2 annis ante mortem ejus (19a aug. 767 U. C.) id est anno 765 U. C., et ignoratur utrum Lucas computaverit annos 15 ab anno 767 an ab anno 765. Hoc ultimum probabilius est, sed incerta remanet supputatio.

Annus 749 U. C. = 5 a. C. a multis habetur ut verus annus nativitatis Christi (2) et hanc chronologiam ut probabiliorem sequimur. Jesus igitur natus est anno 749 ab Urbe condita, anno 5 ante aeram christianam.

11. VITA ET MORS. Post breve exilium (3) in Aegypto, parentes Jesu redierunt Nazareth, ubi ipse, *subditus*

---

(1) *Lc.*, 3, 1.

(2) Hae sunt rationes praecipuae. 1) Jesus natus est non longo tempore ante mortem Herodis (cf. *Mt.*, 2). Si computetur annus 15 Tiberii ab anno consociationis ad imperium (765), Jesus, natus 749, fuisset hoc anno 30 annos et aliquot menses natus. 3) Accuratior supputatio deducenda videtur ex *Lc.*, 1 ,5 ss. Ibi narratur Zachariam, quo tempore filius ejus Joannes Baptista conceptus est, vice sua in templo sacerdotio functum esse. Ordo Abiae ad quem pertinebat Zacharias erat octavus. Jamvero aliunde constat ordinem primum Jojarib vicem suam inchoavisse pridie expugnationis Jerusalem a Tito (9a mensis Ab 823 U.C.) Cum autem ordines numero essent 24 et singuli hebdomada in vicem ministrarent, possibile est supputare quandonam ministraverit Zacharias et Joannes conceptus fuerit. Si nulla fuerit interversio aut interruptio in ministerio, nescio utrum ultra dubium id possit affirmari, ordo Abiae, et proinde Zacharias, ministerio fungebatur anno 748 a 17a ad 23am apr., et a 3a ad 9am oct. Jamvero Annuntiatio facta est sexto mense conceptionis Baptistae (*Lc.*, 1, 26), id est mense octobris 748 aut martii 749 et Jesus natus esset mense jun. aut dec. 749. Annuntiatio mense martii et nativitas mense decembris optime concordant cum veteri traditione christiana. 4) Descriptio prima Quirinii (*Lc.*, 2, 1-3) probabiliter locum habuit an. 8 a.C. et annis sequentibus, nam tales descriptiones fiebant singulis 14 annis et una facta est certe an. 6 p. C. (*cf.* Lagrange, *Où en est la question du recensement de Quirinius?*, *Revue Biblique*, 1911 pp. 60-84). Hoc sine difficultate conciliari potest cum itinere Joseph Bethleem in decursu anni 749 = 5 a.C., *ut profiteretur cum Maria, desponsata sibi uxore praegnante* (*Lc.*, 2, 5). 5) Jesus probabiliter mortuus est anno 783 U.C. = 30 p.C. Quum autem esset tunc circiter 33 annos natus, nativitas ejus reponenda est anno 749.

(3) Unius anni, ad summum, ut videtur.

illis (1), vitam absconditam duxit usque ad annum 26 p. C. = 779 U. C., tempore autumnali, quo incepit praedicare. Per 3 annos et 6 menses circuivit Galilaeam et finitimas regiones, iter saepe faciens Jerusalem, ubique praedicans regnum Dei, fundamenta ponens Ecclesiae suae (2). Affirmavit divinitatem suam primo tecte, in fine vero vitae suae clare et aperte, atque missionem suam, miraculis patratis, perpetuo confirmavit. Ab initio multi secuti sunt eum, sed pauci admodum perseveraverunt usque ad finem, adeo ut, tempore mortis ejus, vix essent alii discipuli praeter 12 Apostolos et sanctas mulieres. Quinimmo et ipsi Apostoli omnes eum tunc deseruerunt (3). Invidia Pharisaeorum inique damnatus est et post ignominiosam passionem mortuus est in patibulo crucis, tempore Paschatis.

Annus mortis, sicut annus nativitatis, est incertus. Multi admittunt annum 30 p. C. = 783 U. C. ut probabiliorem. Hoc nos etiam probamus. In hac hypothesi, ipsa dies mortis esset 7a aprilis (4).

Quae traduntur a documentis profanis de Jesu pauca sunt et quoad majorem partem adulterina. Commentitiae sunt litterae Abgar ad Jesum et responsio Jesu, juxta quas Abgar petiisset a Jesu sanitatem et Jesus respondisset se missurum discipulum post ascensionem ad Patrem (5). Spuria pariter sunt Acta Pilati, evangelia S. Thomae, Nico-

(1) *Lc.*, 2, 51.

(2) Opinio eorum qui intra limites unius anni coarctant vitam publicam Jesu (van Bebber, *Zur Chronologie des Lebens Jesu*, Münster, 1898; Belser, *Zur Hypothese der einjahrigen Wirksamkeit Jesu, Biblische Zeitschrift*, 1903, pp. 55-63, 169-174; post nonnullos antiquos Patres litteraliter interpretantes verba *Is.*, 61, 1), etsi synopticis videtur confirmari, vera probabilitate, juxta omnium fere sententiam, caret.

(3) *Mt.*, 26, 56.

(4) Jesus enim mortuus est certissime feria sexta, et quidem 15a mensis Judaeorum Nisan aut pridie. Porro inter annos possibiles, id est a 27 ad 33, solus est 30 quo 15a Nisan aut pridie cecidit feria sexta. Cf. *Cosmos*, 22 mai 1913. *Revue d'histoire ecclésiastique*, 15 avril 1913, pp. 408-409, bibliog. — Prat, *La date de la passion et la durée de la vie publique de Jésus-Christ*, dans *Recherches de science religieuse*, 1912, pp. 82-104. Ipse tamen eligit 18am martii 29 propter existentiam traditionis historicae pro anno 29.

(5) Apud Eus., *Hist. Eccl.*, 1, 13.

demi, protoevangelium Jacobi, etc. (1). Nonnulla leguntur de Christo apud Plinium (2), Tacitum (3), forsan apud Suetonium (4), et apud Lampridium (5). Celeberrimum est testimonium Flavii Josephi de Christo (6). Jamvero de authenticitate hujus praeclari testimonii dubitatur inter doctos, quia auctor videtur loqui tanquam discipulus, quod certe dici non potest de Josepho. Sed notandum est quod haec verba leguntur in omnibus codicibus, uno hebraeo excepto, et cognoscebantur jam a quarto saeculo ab Eusebio (7). Aegre potuit tacere de Christo qui commemorat Joannem Baptistam et Jacobum, immo nominat Christum in hoc ipso loco. De caetero stilus non est alienus a Josephi scribendi ratione. Nonnulli concedunt verba quaedam esse interpolata nec tamen desunt qui integram genuitatem defendunt.

2. INSTITUTIO ECCLESIAE. Dies Pentecostes (28a maji) post Ascensionem Jesu est verissimo sensu dies natalis Ecclesiae. Hac enim die, Apostoli, confirmatione missionis accepta, virtute Spiritus Sancti transformati sunt et coeperunt praedicare. Nihilo tamen minus proprie Jesus dicendus est institutor Ecclesiae. Sane institutor societatis ille habendus est qui ejus finem excogitavit eumque primis membris coadunatis proposuit, quibus in ejus intentione alia aggreganda essent membra. Quaecumque autem fiant disceptationes circa singulos textus Evangeliorum, nisi totaliter horum librorum historicitas denegetur, hoc saltem invicte demonstratum historice constabit Jesum coadunasse duodecim piscatores, quos Apostolos nominavit, et quibus injunxit ut praedicarent evangelium salutis non solis judaeis sed et

---

(1) Tischendorf, *Evangelia apocrypha*, Lipsiae, 1876.
(2) *Ep.*, 10, 96.
(3) *Ann.*, 15, 44.
(4) *Claud.*, 25; *Nero*, 16.
(5) *Vita Alexandri Severi*, 29, 2; 43, 6.
(6) *Antiquitates Judaicae*, 18, 3, 3. Fl. Josephus (37-p. 100) erat Judaeus Jerosolymitanus. Post captam Galilaeam a Vespasiano (67), ductus est captivus Romam in qua deinceps, libertate donatus vixit. Ibi scripsit librum de *Antiquitatibus judaicis* anno 93.
(7) *Demonst. Evang.*, 3, 5; *Hist. Eccl.*, 1, 11.

omni creaturae (1). Quinimmo primam temperationem societatis ipse perfecit, dum constituit illis primatem et ducem in persona Petri. Certum est insuper totam quam haberent potestatem ab ipso descendere, nec hanc, sicut in caeteris quibuscumque societatibus, a coetu membrorum ascendere (2). Jam ante mortem Jesus pusillum gregem, cellulam primariam Ecclesiae constituerat, et, testantibus ipsis Apostolis, quod postea factum est non fuit nisi continuatio et evolutio nuclei primitivi, et quidquid egerint, nonnisi in nomine ejus et vi auctoritatis ab ipso acceptae egerunt (3).

---

§ 3. Initia Ecclesiae apud Judaeos. Ecclesia Palaestinensis (30-70).

FONTES. Actus Apostolorum et Epistolae Pauli. Historicitatem Actuum Apostolorum ne infensissimi quidem inimici christiani nominis amplius denegant. (Cf. e. g. Harnack, *Die Apostelgeschichte*, Leipzig, 1908), Inter opera fere innumera legi possunt cum utilitate: Fouard. *Saint Pierre et les premières années du christianisme*, 8 éd., Paris, 1903. Le Camus, *L'oeuvre des Apôtres*, 3 vol., Paris, 1905.

13. PRIMA MEMBRA ECCLESIAE. Nomina primorum membrorum Ecclesiae seu Apostolorum sunt sequentia: Simon, cognonominatus Petrus, et frater ejus Andreas; Jacobus Major et frater ejus Joannes; Thomas et Philippus; Nathanael, cognonominatus Bartholomaeus, et Levi cui cognomen erat Matthaeus; Jacobus Minor et Thaddaeus seu Judas Jacobi; Simon, cognominatus Zelotes, et Judas Iscariotes. Hic ultimus proditor laqueo se suspenderat ante mortem Christi. Post Ascensionem, statuerunt Apostoli, hortante Petro, complere collegium apostolicum et Mathias annumeratus est undecim ab ipso Domino electis.

Fere omnes discipuli Jesu et vel ipsi Apostoli dereliquerant eum tempore passionis et mortis ejus, sed crediderunt

(1) *Mc.*, 16, 15.
(2) Cf. Tanquerey, *op. cit.*, pp. 382 ss.
(3) Lege refutationem theoriae evolutionistarum apud Batiffol, *l'Eglise naissante*, Paris, 1909.

in eum redivivum et quando ascendit in coelum (18a maji 30), membra Ecclesiae, fideles, *fratres*, ut aiebant primi christiani, plus quam 500 numerabantur (1).

Dies natalis Ecclesiae. Post Ascensionem congregati sunt undecim Apostoli cum Maria matre Jesu et multis fratribus Jerosolymis ut *expectarent promissionem Patris* (2). Erant simul fere 120. Completo collegio apostolico, die Pentecostes (28a maji), descendit Spiritus Sanctus super Apostolos sub visibili specie linguarum tanquam ignis. Adventus Spiritus Sancti divino sigillo missionem eorum obsignavit. Subito totaliter transformati, hac ipsa die labores suos inceperunt, ideoque dies Pentecostes revera dies natalis Ecclesiae dici potest.

14. INITIUM LABORUM (30-33). Post primam praedicationem Petri et undecim, ipsa die Pentecostes, animae 3000 numero fidelium appositae sunt. Paulo post, cum sanavisset claudum ad portam templi, Petrus secundo solemniter praedicavit et numerus *virorum* factus est 5000 (3). Principes sacerdotum, seniores et scribae, qui condemnaverant Jesum, non poterant praedicationis discipulorum ejus et admirationis populi benevoli testes esse. Quapropter, apprehensis primo Petro et Joanne, comminati sunt eis ne in nomine Jesu praedicarent, deinde, duodecim simul contumeliose flagellatis eamdem prohibitionem iteraverunt. Nondum autem quidquid contra ipsos fideles actum est. Ideoque crescebat numerus eorum qui credebant et conversiones fiebant inter Judaeos et etiam inter *Graecos*, id est, Judaeos dispersionis, qui vivebant extra Palaestinam et graece loquebantur. Tantus erat numerus discipulorum ut necessarium duxerint Apostoli eligere ex fidelibus septem qui ministrarent *mensis*, nempe quando ad coenam in commemorationem Domini celebrandam congregabantur (4). Haec fuit institutio Diaconorum.

---

(1) *I Cor.*, 15, 6.

(2) *Ac.*, 1, 15.

(3) *Ac.*, 4, 4.

(4) *Ac.*, 6, 1-6.

15. PERSECUTIO PRIMA JUDAEORUM (33-36). Vix elapsus erat secundus annus a morte Christi et indefessim praedicantibus Apostolis *multiplicabatur numerus discipulorum in Jerusalem valde: multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei* (1). Hoc sane aegre ferebat synedrium. Irrefutabili praedicatione unius ex septem Diaconis, nomine Stephani, zelo admirabilis, commoti, magnam persecutionem excitaverunt in Ecclesia quae erat Jerosolymis. Ipse Stephanus lapidatus est et primus palmam martyrii tulit, omnes autem praeter Apostolos dispersi sunt (2). Pharisaeus Saulus supra modum persequebatur Ecclesiam, *abundantius aemulator existens paternarum traditionum* (3). Jamvero haec commode reponuntur annis 33 et sequentibus. Persecutio duravit forsan usque ad iter Sauli in Damascum (36). Nullum alium effectum habuit praeter diffusionem praedicationis ad Samariam et Galilaeam, et Phoenicen et Cyprum (4), solis tamen Judaeis factae.

16. PAX ECCLESIAE. Conversio Gentilium (36-42). Reddita pace, Petrus *pertransibat universos* (5), utpote caput Ecclesiae. Manus imposuit Samaritanis, ut acciperent Spiritum Sanctum, et damnavit Simonem Magum, primum haereticum, qui ipsi obtulerat pecuniam ut hanc potestatem haberet. Post visionem habitam in civitate Joppe, non dubitavit venire Caesaream et baptizare Cornelium centurionem Gentilem, sicque ostendit Ecclesiam non esse pro solis Judaeis, sed pro omnibus gentibus.

Hoc circiter tempore, sed ante conversionem Cornelii, ut videtur, fundaverat Petrus Ecclesiam Antiochenam (6). Evangelium ibi primo solis Judaeis praedicatum est, mox autem et ipsis Graecis et quidem felicissimo exitu. Barnabas, missus a Jerusalem, *quum vidisset gratiam Dei, accersivit Paulum a Tarso, et annum totum conversati sunt ibi in Ecclesia: et docuerunt turbam multam, ita ut cognomina-*

(1) *Ac.*, 6, 7.
(2) *Ac.* 8, 1.
(3) *Gal.*, 1, 14.
(4) Cf. *Ac.*, 11, 19.
(5) *Ac.*, 9, 31.
(6) Fouard, *Saint Pierre*, 8 éd., Paris, 1903, p. 189.

rentur primum Antiochiae discipuli Christiani (1). Videntur haec locum habuisse anno 42-43.

17. PERSECUTIO ALTERA JUDAEORUM (42-44). Hoc autem anno, Herodes Agrippa, qui rex totius Palaestinae factus fuerat (41), persecutus est Ecclesiam. Jacobus Major gladio occisus est. Ipse Petrus in vincula conjectus est, sed ab angelo ereptus est, *et egressus abiit in alium locum* (2). Jacobus autem alter, cognominatus Minor, rexit Ecclesiam Jerosolymitanam. Interea mortuus est Herodes Caesareae (44), et pax reddita est Ecclesiae, nec videtur turbata fuisse usque ad dispersionem communitatis Jerosolymitanae in bello (66-70).

18. VITA PRIMORUM CHRISTIANORUM JEROSOLYMITANORUM. Describitur vita primorum christianorum Jerosolymitanorum in *Ac.*, 2, 42-47. Primi christiani maxima unione et dilectione jungebantur ad invicem et formabant quasi magnam familiam atque se vocabant invicem fratres. Ipsa eorum bona erant communia. Etsi specialem coetum oculis omnium constituerent, atque fide in Christum, obsequio erga Apostolos, modo orandi et praesertim communicatione *Fractionis Panis* distinguerentur, externe tamen Judaei remanebant. Servabant Legem judaicam, sacris publicis intererant in templo ibique congregabantur ut orarent. Coenam autem Domini et Fractionem Panis celebrabant circa domos. Haec unio cum Synagoga duravit usque ad dispersionem. Ipse Paulus, rogantibus christianis Jerosolymitanis, votum solvit in templo anno 57 (3). Ecclesia Jerosolymitana initio floruit, sed sive propter communitatem bonorum, sive propter persecutiones et dispersionem Apostolorum et fidelium, sive etiam propter nimis arctam conjunctionem cum judaismo, decidit in miserrimam conditionem, ita ut necessarium esset eleemosynas pro ipsis colligere in caeteris ecclesiis.

19. CONTROVERSIA JUDAIZANTIUM. Concilium Jerosolymitanum. Exorta est maxima difficultas, ne dica-

---

(1) *Ac.*, 11, 26.
(2) *Ac.*, 12, 17.
(3) *Ac.*, 21, 15 ss.

mus maximum periculum, ex intima unione Ecclesiae Jerosolymitanae cum veteri Synagoga. Christiani Jerosolymitani, plerumque conversi a pharisaismo et pie observantes legem mosaicam, vix non poterant non credere circumcisionem et Legem esse necessaria ad salutem per Christum consequendam. Multi hoc non timuerunt pertinaciter asserere. Vocantur ii zelatores Legis veteris *Judaizantes*. Si eorum sententia valuisset, Ecclesia mansisset factio quaedam judaismi. *Evacuatum* esset *scandalum crucis*, id est, opus Christi (1).

Quaestio practice soluta fuerat quando Petrus, post visionem in Joppe acceptam, gentilem Cornelium baptizaverat (c. 40), et portam Ecclesiae non-judaeis latam aperuerat. Mirantibus Judaeis Jerosolymitanis propter rei novitatem, Petrus explicationes dederat, sed non cessaverant murmurare, et, crescente numero fidelium ex gentilitate conversorum, opera praesertim Pauli, clamitabant jugum Legis saltem eis esse imponendum, renitente tamen Paulo. Propterea anno 50 adunatum est in Jerusalem quod communiter vocatur *primum concilium*. Interfuerunt Apostoli et seniores, nominatim Petrus, Joannes, Jacobus Minor, Paulus et Barnabas. Statutum est observationem Legis, pro eis qui credebant ex Gentibus, non esse necessariam ad salutem. Judaizantes tamen non ideo devicti sunt, sed, mutato consilio, deinceps docuerunt Legem ad perfectionem saltem esse necessariam. Eosque invenimus in omnibus fere ecclesiis a Paulo fundatis, illam necessitatem practicam Legis antiquae praedicantes et Apostoli opus subvertere quaerentes. Post destructionem templi, nonnisi vestigia remanent christianorum judaizantium.

20. REBELLIO JUDAEORUM. Dispersio ecclesiae Jerosolymitanae (66-70). Anno 66 rebellarunt Judaei contra Romanos. Vespasianus missionem reducendi eos in oboedientiam accepit. Sine magna difficultate Galilaeam subegit (67), et reliquam Palaestinam anno sequenti occupavit. Imperator factus (69), filio suo Tito munus oppugnandi Jesuralem reliquit. Post longam obsidionem (ab ap.

(1) *Gal.*, 5. 11.

ad sept.), civitas capta est atque igni tradita (70). Praemoniti a Christo (1), Christiani jam fugerant in civitatem Pellae trans Jordanem in Decapoli, ubi, ad summam inopiam deducti, cum episcopo suo Simeone vixerunt. Eversio civitatis sanctae et destructio templi reddebant observationem Legis impossibilem et finem judaismi faciebant. Christiani tunc agnoverunt veritatem prophetiarum Christi.

---

§ 4. Initia Ecclesiae apud Judaeos Dispersionis et Gentiles: propagatur Ecclesia in Asia Minori et Europa (Macedonia et Achaia). Labores sancti Pauli (42-67).

FONTES. Actus Apostolorum et Epistolae. — Cf. Fouard, *Saint Paul, ses missions*, 9 éd., Paris, 1906; *Saint Paul, ses dernières années*, 7 éd., Paris, 1907. — Prat, *La théologie de Saint Paul*, 4 éd., Paris, 1909, t. 1. — Ramsay, *S. Paul, the traveller and the Roman citizen*, 3 ed., London, 1897. — Prat, *Chronologie de l'âge apostolique*, in *Recherches de science religieuse*, 1912, pp. 372-392.

Etsi sanctus Petrus portam Ecclesiae non-Judaeis aperuerit, propagatio christianismi extra Palaestinam debetur praesertim sancto Paulo. Unde ipsi nomen Apostolus Gentium.

21. VITA PAULI. Paulus, natus Tarsi in Cilicia (1-10) (2), civis Romanus, graece eruditus, scientiam judaicam in Jerusalem ad pedes celebris doctoris pharisaei Gamaliel didicit. Pius ille pharisaeus primo persecutus est Ecclesiam, sed anno 35 vel 36, cum iter faceret Damascum, a gratia divina subactus, a persecutore apostolus factus est. Tertio anno a conversione (39), venit Jerusalem ut videret Petrum, et inde abiit Tarsum, ubi mansit usque dum, advocante Barnaba, veniret Antiochiam (42). Paulo post, venit Jerusalem ut distribueret collationes Ecclesiae Antiochenae.

---

(1) Eus., *Hist. Eccl.*, 3, 5. Cf. *Mt.*, 24, 16.

(2) *Adolescens* (24-40) erat quando Stephanus lapidatus est (33-34). *Ac.*, 7, 58.

22. PRIMA MISSIO, IN ASIA MINORI (45-49). Nondum directe non-Judaeis et vix extra Palaestinam praedicatum erat Evangelium. Post felicem exitum praedicationis factae Graecis Antiochiae, videtur Paulus, magno zelo incensus, de longinqua missione instituenda inter gentiles deliberavisse. Comitantibus Barnaba et Joanne Marco, navigavit in Cyprum, et postea in Pamphyliam. Condidit ecclesias in praecipuis civitatibus Pamphyliae, Pisidiae et Ciliciae, nempe Perge, Antiochia, Iconio, Lystra, Derbe, non tamen sine persecutionibus. Praedicabat primo Judaeis, deinde Gentilibus.

23. SECUNDA MISSIO, IN ASIA MINORI ET EUROPA (Macedonia et Achaia) (50-53). Post concilium Jerosolymitanum, regressus Antiochiam ibique aliquantisper commoratus (1), denuo profectus est ut ecclesias conditas visitaret et novas conderet. Peragravit Lycaoniam et Pisidiam, deinde Phrygiam, Galatiam et Mysiam et pervenit usque Troadem. Exinde transivit in Europam, in Macedoniam, et condidit ecclesias Philippis et Thessalonicae. Veniens in Achaiam, praedicavit Athenis et ecclesiam condidit Corinthi, ubi mansit per biennium. Ibi scripsit epistolas *ad Thessalonicenses*. Rediit Antiochiam per Ephesum.

24. TERTIA MISSIO IN ASIA MINORI ET EUROPA (53-57). Paucis elapsis mensibus, profectus est Ephesum, iter faciens per ecclesias Syriae, Ciliciae, Galatiae et Phrygiae. Mansit Ephesum usque ad 56 et ibi scripsit primam epistolam *ad Corinthios*. Mox cum venisset in Macedoniam scripsit alteram. Hoc autem tempore etiam scripta est epistola *ad Galatas*, paulo ante epistolam *ad Romanos*, quam scripsit postquam venisset Corinthum. Rediit Jerusalem visitando ecclesias conditas et ibi pervenit circa Pentecosten (57).

25. CUSTODIA CAESAREAE ET ROMAE (57-62). Invidia Judaeorum dum orationi vacabat in templo traditus

---

(1) Tunc locum habuit dissensio cum Petro, de qua agitur *Gal.*, 2, 11 ss.

et vix a nece ereptus, mansit in custodia Romanorum Jerosolymis et paulo post Caesareae (57-59). Cum autem appellavisset ad Caesarem, Romam missus est. Ibi etiam per biennium mansit in custodia, evangelium tamen propterea praedicare non cessans, et tandem liberatus est (62). Scripsit tunc temporis epistolas *ad Colossenses*, et *ad Ephesios*, et denique paulo ante liberationem *ad Philippenses*.

26. ULTIMUM ITER APOSTOLICUM, SECUNDA CUSTODIA ET MORS (62-67). Narrat Eusebius Paulum post felicem liberationem novum iter apostolicum instituisse (1). Visitavisset ecclesias Graeciae et Asiae, immo ivisset in Hispaniam, ut fert vetus traditio. Hoc ultimum forsan commemorat Clemens Romanus cum scribit (c. 96) eum "ad occidentis terminos" venisse (2). Epistolae *ad Timotheum* et *ad Titum* scriptae sunt dum Paulus erat in vincula et putabat mortem suam imminere, quod non potest dici de prima captivitate. Apprehensus iterum saltem anno 66, decollatus est ut videtur in fine persecutionis Neronis, probabiliter anno 67 (3).

27. INDOLES PAULI. Paulus erat statura pusillus, corpore imbecillus, aspectu timidus et sermone contemptibilis (4). Sed corpus debile animabat cor magnum, ardenti zelo incensum, nullo labore victum, nulla adversitate fractum (5). Indefessis laboribus in evangelii praedicatione APOSTOLI nomen sibi meruit. Ingenio, praestantia et grandiloquentia theologiae suae merito DOCTOR vocatus est. Eminet inter sanctissimos et maximos Ecclesiae viros.

---

(1) Eus., *Hist. Eccles.*, 2, 24.

(2) *Ad Cor.*, 5, 7.

(3) Persecutio Neroniana duravit ab incendio Urbis (16a julii 64) ad mortem Neronis (9a junii 68).

(4) Cf. *Ac.*, 14, 11 ss.; *I Cor.*, 2, 3; *II Cor.*, 10, 10; *Acta Pauli*, 3.

(5) Cf. *II Cor.*, 11, 24 ss.

§ 5. Initia Ecclesiae Romae, in quam transfertur centrum Societatis. Labores sancti Petri (42-66)

FONTES. Actus Apostolorum. Opera vetustiorum Patrum. Monumenta Romana. Cf. Fouard, *Saint Pierre et les premières années du christianisme*, 9 éd., Paris 1905. — Fillion, *Saint Pierre*, 2 éd., Paris, 1906.

Magnum momentum habet studium ministerii Petri, capitis Collegii Apostolici. Ex voluntate Fundatoris Ecclesiae, ipse erat petra in qua totum aedificium innitebatur ideoque ubi erat, ibi centrum Ecclesiae erat. "Ubi Petrus, ibi Ecclesia" (1).

28. VITA PETRI. Petrus, Simon antea dictus, a Galilaea oriundus, unus ex primis discipulis Jesu fuit. Durante vita Christi, a Christo et ab Apostolis agnoscitur ut caput Collegii Apostolici (2). Hoc autem adhuc magis elucet post Ascensionem: est evidenter praeses ecclesiae Jerosolymitanae, et ut talis a principibus synagogae agnitus et apprehensus est. Historia ejus confunditur cum historia coetus Jerosolymitani usque ad annum 42.

Annis autem 42-44, persequente Herode Ecclesiam, Petrus, in custodiam missus est post mortem Jacobi, sed angelorum ministerio liberatus, reliquit civitatem et *abiit in alium locum* (3). Ab hoc tempore non videtur in Jerusalem nisi anno 50 ad concilium venisse.

29. MINISTERIUM ROMANUM. Quonam abiit loco? Vetus traditio associat nomen ejus cum initiis ecclesiae Romanae. Diserte hoc asserit Irenaeus (+ 202) (4). Idem supponunt Clemens Romanus (96) (5), et Ignatius Antiochenus (107) (6). Eusebius narrat Petrum praedicavisse

(1) Ambros., *In Ps.* 40, 30.

(2) Cf. Tanquerey, *Synopsis Theol. Fund.*, ed. 14, Parisiis, 1911, p. 429, 437.

(3) *Ac.*, 12, 17.

(4) *Adv. Haer.*, 3, 3, 2.

(5) *Ad Cor.*, 5.

(6) *Ad Rom.*, 4, 3.

evangelium Romae, Claudio Imperatore (41-54) (1), et 25 annis ejusdem urbis episcopum perseveravisse (2). Ex altera parte scimus Claudium expulisse Judaeos et christianos ab Urbe anno 50 (3). Ex hoc infertur Petrum inter annos 42-50 praedicavisse numerosis Judaeis qui Romae vivebant. Anno 50 debuit relinquere Romam et sic explicatur ejus praesentia Jerosolymis, in concilio. Vix intelligeretur celebritas ecclesiae Romanae jam ab anno 57 et desiderium Pauli conferendi propriam fidem cum fide ejus (4), nisi a Principe Apostolorum condita fuisset et ibi translatum esset centrum Ecclesiae.

Quod saltem extra omne dubium est, Petrus aliquando Romam venit et Ecclesiam rexit atque martyrium ibi passus est.

Petrum Romae commoratum esse et martyrem obiisse nullus ante saeculum XIV in dubium vocavit. Quod autem Marsilius Patavius dubitanter proposuerat, Lutherani et Calvinistae negarunt, rationalistae vero, Baur duce, communi voce fabulam dixerunt. Vix tamen hodie invenietur historicus cujusdam nominis qui argumentis veterum protestantium valorem quemcumque concedat (5).

Testimoniis secundi saeculi supra citatis addi possunt verba non obscura ipsius Petri in prima sua epistola: *Salutat vos Ecclesia quae est in Babylone* (i. e. Roma, quae sic nominatur propter corruptionem) *coelecta et Marcus filius meus* (6). Nil forsan melius attestatur ministerium Petri Romae quam monumenta Romana: catacumba Ostriana ubi baptizabat, cathedra ubi sedebat, et tandem sepulchrum ejus in Vaticano, veneratum et visitatum a remotissima antiquitate et ad quod Constantinus magnificam basilicam aedificavit.

(1) Eus., *Hist. Eccles.*, 2, 14, 6.

(2) Eus., *Chron.*, 2, ad a. Chr. 44. *Cf.* Mourret, *Histoire générale de l'Eglise*, Paris, 1914, t. 1, p. 106, not.

(3) Judaeos impulsore Chresto assidue tumultuantes Roma expulit. Suet., *Claud.*, 25, 4. — Oros., *Hist.*, 7, 6, 15. Cf. *Ac.*, 18, 2.

(4) Cf. *Rom.*, 1, 8-15 et 15, 24.

(5) Cf. Harnack, *Gesch. der altchr. Lit.*, *Chron.*, II, 1. p. 244, not. 2.

(6) *I Pet.*, 5, 13.

Traditio igitur constans concomitatur et justificat seriem episcoporum romanorum usque ad Petrum retro ascendentem.

30. INDOLES PETRI. Petrus animo ardens erat, fortis, haud haesitans consilii. Peritus erat in rebus gerendis et sollers moderator animorum, aeque rebus et personis sciens se accommodare. Ingenti caritate in Jesum, summa humilitate, ardenti zelo dilatandae Ecclesiae excelluit.

---

§ 6. Propagatio Ecclesiae in universum imperium romanum. Labores sancti Joannis et aliorum Apostolorum (42-100).

FONTES. Eusebii *Historia Ecclesiastica*, ed. Berol. Cf. Fouard, *Saint Jean et la fin de l'âge apostolique*, 3 éd., Paris, 1905.—Filion, *Saint Jean l'Evangéliste, sa vie et ses écrits*, Paris, 1907.

31. DISPERSIO APOSTOLORUM. Apostoli laboraverunt in Palaestina simul per plures annos, et non videtur omnino spernendum testimonium quorumdam apocryphorum, juxta quae simul usque ad annum 42 mansissent. Herodes enim tunc persecutus est christianos et praesertim Apostolos, et omnes videntur imitati esse Petrum et reliquisse Palaestinam. Celebris pictura repraesentat duodecim Apostolos cum Petro ad pedes magnae crucis, diviso inter se orbe, sibi invicem valedicentes antequam separarentur (1). Haec pulcherrima fictio aut legenda optime ostendit quomodo Apostoli, faventibus circumstantiis, post annum 44, adimpleverint mandatum Domini: *Euntes in mundum universum... docete.* Miserrimo fato contigit ut documenta certa ministerii Apostolorum ad nos usque non pervenirent. Fere nonnisi apocrypha et dubia habemus.

32. JOANNES. Joannes, *discipulus quem diligebat Jesus* (2), natus est in Galilaea circa an. 10. Ab initio

---

(1) Gleyre.

(2) *Jo.*, 13, 23.

praedicationis Jesu ipsi adhaesit, eumque semper comitatus est in vita publica. Post mortem Domini, socius fuit Petri, usque post annum 35. Quando caeteri Apostoli dispersi sunt, ipse non videtur reliquisse Palaestinam.

Nam certissime non reliquit Mariam quam Jesus moriens ipsi commendaverat. Maria autem juxta probabiliorem traditionem nunquam discessit a Jerusalem et ibi mortua est. Annus ejus mortis ignoratur. Tempore concilii (50), non amplius vivebat, ut videtur. Verosimilis est interpolatio *Chronicon Eusebii*, juxta quam mortua est anno 48. Testimonia relate ad ejus assumptionem corpoream incipiunt a quinto saeculo.

Joannes interfuit concilio Jerosolymitano (50), et probabiliter non discessit a Palaestina ante bellum (66-70), quo tempore venit Ephesum, in Asia Minori, ut attestantur omnes antiqui scriptores et nunc ab omnibus admittitur. Exul fuit in insula Patmos, Domitiano regnante (post 94) (1), ibique scripsit Apocalypsim. Pace reddita Ecclesiae sub Nerva, rediit Ephesum, ubi scripsit quartum evangelium et Epistolas. Mortuus est sub Trajano, id est, non ante annum 98 (2).

33. CAETERI APOSTOLI. Jacobus Major, frater Joannis, videtur praepositus fuisse ministerio communitatis Jerosolymitanae, salva auctoritate Petri, qui saepe a Jerusalem aberat. Occisus est in persecutione Herodis (42-44), et primus inter Apostolos sanguinem pro Christo effudit (3).

Jacobus Minor, episcopus Jerosolymitanus fuit post alterum Jacobum et Petrum ab annis 42-44. Scripsit epistolam ad duodecim tribus et martyr occubuit lapidibus obrutus anno 62 (4).

Matthaeus, ante vocationem publicanus, scripsit primum evangelium in lingua aramaica circa annum 60 vel juxta

(1) *Ap.*, 1. — Iren., *Adv. Haer.*, 5, 30. — Eus., *Hist. Eccl.*, 3, 18.

(2) Cf. Iren., *Adv. Haer.*, 2, 28. — Eus., *Hist. Eccles.*, 3, 23.

(3) *Ac.*, 12, 2.

(4) Fl. Joseph., *Ant. Jud.*, 20, 8.

alios ante dispersionem Apostolorum. Praedicavit in Aethiopia juxta Rufinum (1).

Bartholomaeus, juxta eumdem Rufinum, attulit evangelium ad Indos. Ferunt etiam in Armenia supplicio crucis affectum obiisse (2).

Philippus in Phrygia adlaboravit atque Hierapoli martyrium passus est.

Thomas Parthis evangelium annuntiavit, teste Origene (3).

Andreas, juxta eumdem fontem, in Scythia praedicavit. Volunt etiam ipsum martyrium subiisse Patris in Achaia (4).

Simon, Zelotes dictus, in Persia et Mesopotamia praedicavisse dicitur.

Mathiam in Aethiopia evangelium annuntiavisse tradunt.

Judas Thaddaeus in Palaestina praesertim laboravit. Scripsit epistolam canonicam Judaeis conversis.

Marcus, primo socius Pauli et postea Petri, scripsit evangelium secundum ante annum 70. Ecclesiam Alexandrinam condidit (5).

Lucas, et ipse socius laborum Pauli, scripsit tertium evangelium circa annum 62 et Actus Apostolorum paulo post. Juxta quosdam praedicavisset in Achaia.

34. ECCLESIA UBIQUE DIFFUSA JAM A PRIMO SAECULO. Brevi tempore post mortem Jesu, Apostoli, mandato ejus obtemperantes, prophetiam ejus adimpleverant: *Eritis mihi testes usque ad ultimum terrae* (6). Anno 51, Paulus ad Thessalonicenses scribere poterat: *In omni loco fides vestra profecta est* (7), et ad Romanos, anno 57: *Fides vestra annuntiatur in universo mundo* (8), et paulo post,

(1) *Hist. Eccl.*, 3, 1.
(2) Eus., *Hist. Eccl.*, 5, 13.
(3) Eus., *Hist. Eccl.*, 3, 1.
(4) Acta ejus sunt sine dubio apocrypha.
(5) Cf. Jeannotte, *Semaine religieuse de Montréal*, 26 avril 1915.
(6) *Ac.*, 1, 8.
(7) *I Thes.*, 1, 8.
(8) *Rom.*, 1, 8; cf. *Rom.*, 16, 13.

anno 62, ad Colossenses: *In universo mundo est* (1). Jacobus Minor de suis, anno 57, aiebat: *Vides, frater, quot millia sunt in Judaeis, qui crediderunt* (2). Exeunte saeculo primo, cum Joannes, ultimus Apostolorum, mortuus est Ephesi, vix 70 annos post mortuum Christum, *in omnem terram exierat sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum* (3).

Nec desunt testimonia profanorum auctorum attestantium stupendam propagationem christianismi et magnum numerum fidelium jam a primo saeculo (4). Tacitus loquitur de *multitudine ingenti* martyrum in persecutione Neronis (5). Plinius, anno circiter 112, sic scribebat de christianis Bithyniae: "Visa est mihi res digna consultatione propter *numerum* periclitantium. *Multi enim omnis aetatis, omnis ordinis utriusque sexus etiam vocantur in periculum et vocabuntur. Neque civitates tantum, sed vicos etiam atque agros* superstitionis istius contagio pervagata est; quae videntur sisti et corrigi posse. Certe satis constat prope jam desolata templa coepisse celebrari, et sacra solemnia diu intermissa repeti, passimque venire victimas, quarum adhuc rarissimus emptor inveniebatur. Ex quo facile est opinari, quae *turba* hominum emendari possit, si sit paenitentiae locus" (6). Haec verba aeque vera fuissent de plerisque provinciis ubi praedicatum erat evangelium.

De facto, ecclesiae existebant in omnibus regionibus circa mare Mediterraneum, in Aegypto, in Palaestina, in Syria, in Asia Minori, in Macedonia, in Graecia, in Italia, probabiliter in littore Galliae et in remota Hispania.

---

(1) *Col.*, 1, 6.
(2) *Ac.*, 21, 20.
(3) *Ps.*, 18, 5.
(4) Romae, ut concludere licet ex inscriptionibus catacumbarum seu coemeteriorum christianorum, plures ex honestioribus familiis, nempe ex familiis Corneliorum, Caeciliorum, Aemiliorum, Bassorum, Aniciorum, etc., jam a saeculo primo ad fidem conversi erant.
(5) Tac., *Ann.*, 15, 44.
(6) Plin., *Epist.*, 19, 90.

CAPUT SECUNDUM

ECCLESIA ET MUNDUS ROMANUS POLITICUS ET PHILOSOPHICUS. (64-313)

§ 1. Persecutiones imperii Romani.

FONTES. Eusebii *Historia Ecclesiastica*. Antiquiore scriptores christiani. Acta Martyrum: Cf: Leclercq *Les martyrs*, Paris, 1906, t. 1. Quaedam etiam apu auctores profanos, Suetonium, Tacitum, etc. — Cf Paul Allard, *Histoire des persécutions*, 5. vol., Paris 1885-1890; *Le christianisme et l'empire romain*, Paris 1893; *La situation légale des chrétiens pendant les deu premiers siècles*, in *Revue des Questions historique* 1896, t. 59, p. 5-43.

35. INDOLES. Romani tolerabant omnes cultus dum modo nihil molirentur contra rem publicam, ideoque parun primo curaverunt de christianis. Judaei numerosi eran Romae et in toto imperio atque sub numine legum vivebant Discipuli Christi ab initio confundebantur cum Judaeis e indulgentia qua Romani ipsis favebant protecti sunt. Se mox, jam a tempore Neronis, a Judaeis distincti sunt, et vi ac agniti, odio facti sunt omnibus in toto imperio, non tan tum plebi, sed etiam Imperatori, et saevitiis omnimodis op pressi sunt. Persecutio primo feralis, deinde politica, se plerumque cruenta, fuit, et ultimo abiit in supremum cer tamen in quo alteruter dimicantium succumbere debeba Imperium pacifice devictum est constantia martyrum e factum est christianum.

36. CAUSAE. Persecutionum autem causae plure assignantur: 1° Justinus et Tertullianus arguunt Judaeo excitavisse persecutiones. "Synagogae Judaeorum, fonte persecutionum" (1). 2° Calumniis concitabatur plebs i Christianos. Accusabantur crimine incestus, superstitioni atheismi. Plebs arbitrabatur eos cladium publicarum causan esse. "Si Tiberis, ait Tertullianus, ascendit ad moenia, Nilus non ascendit in arva, si coelum stetit, si terra movit, fames, si lues, statim: Christianos ad leonem! acclamatur. (2). 3° Multi conati sunt demonstrare christianos damnato

(1) Tert., *Scorp.*, 10.
(2) Tert., *Apol.*, 40.

esse propter crimen laesae majestatis, sacrilegii aut magicae artis, legibus imperii severe punitum. Si ita esset, certe nimis odiosae evaderent persecutiones: reducerentur ad quoddam jus legitimae defensionis et ad applicationem, sine discrimine quidem factam, legum. Quanquam autem negari non possit tales leges extitisse, vi quarum quidam christiani plecti potuissent, de facto tamen constat eos nunquam propter talia crimina, sed religionis causa damnatos esse. 4° Ideoque nonnulli putaverunt legem latam esse jam a tempore Neronis qua christianum esse vetabatur. Hanc enim videtur supponere epistola Plinii nec non et rescriptum Trajani. Nam Plinius rogaverat utrum, propter ingentem in periculum venientium numerum indulgentia in apostatas uti non expediret, et Trajanus respondit eos puniendos esse qui deferrentur et arguerentur. Hoc autem certe praesupponit legem latam aut saltem usum juridicum vi cujus christiani conquirebantur et puniebantur, in odium nominis sui, eo quod essent christiani.

Post persecutionem Neronis in qua ira plebis in christianos conversa fuerat, usus paulatim invaluit, ut videtur, damnandi capitis christianismi sectatores sine alia ratione, et rescriptum Trajani determinavit, ut aiunt, jurisprudentiam hujusmodi causarum vel eis fundamentum juridicum dedit. Tertullianus satis clare alludit in *Apologetica* ad legem latam contra christianos: "...postremo legum obstruitur auctoritas adversus eam (veritatem)... Jampridem quam dure definitis dicendo: Non licet esse vos" (1).

37. NUMERUS. Lactantius numerat sex magnas persecutiones, Augustinus vero decem distinguit (2). Augustinum sequuntur multi auctores. Jamvero haec supputatio provenit ex interpretatione symbolica decem plagarum Aegypti et decem cornuum Bestiae Apocalysis (3), et non accurate historicae realitati correspondet. Augustinus recenset inter persecutores Neronem, Domitianum, Trajanum, Marcum Aurelium, Septimium Severum, Maximinum Thra-

---

(1) Tert., *Apol.*, 4, 3, 4.
(2) Aug., *De Civitate Dei*, 18, 52.
(3) *Ap.*, 17, 12.

rem, Decium, Valerianum, Aurelianum et Diocletianum. Re autem vera, nunquam cessavit persecutio, etsi sub quibusdam imperatoribus minus crudelis evasit.

38. PRIMUM SAECULUM. Nero (54-68) primus persecutus est christianos. Post incendium Urbis 19a Julii 64, cum a populo ignem admovisse accusaretur, christianos vindinctae populari designavit et ipse saevissime eos persecutus est, in odium praesertim *superstitionis exitiabilis*. "Igitur primum correpti, inquit Tacitus, qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens haud proinde in crimine incendii quam odio humani generis convicti sunt" (1). Clemens (c. 96) laudat constantiam mulierum (2). Videtur persecutio duravisse usque ad mortem Neronis (68). Praecipui martyres romani fuerunt Petrus et Paulus, Processus et Martinianus. Alii passi sunt in provinciis; sicut Gervasius et Protasius Mediolani, juxta quosdam. Vespasiano (69-79) et Tito (79-81) imperatoribus, christiani in relativa quiete fuerunt.

Domitianus(81-86), "portio Neronis de crudelitate"(3) excitavit persecutionem in christianos an. 94, forsan sub praetextu quod renuissent solvere tributum pro templo judaico, ad quod certe teneri non poterant. Saeviit etiam in suos: consobrinum Flavium Clementem capitis damnavit ob crimen atheismi et "contemptissimae inertiae" (4). Acilius Glabrio, consul cum Trajano an. 91, in hac persecutione martyr obiit. Sub Nerva (96-98) persecutio cessavit et revocati sunt exules.

Non potest denegari persecutionem extensam esse etiam ad provincias saeculo primo. Hoc enim constat ex epistola Petri prima, in qua videtur laudare constantiam martyrum Asiae Minoris, ex Apocalypsi, ex epistola Plinii supra citata.

39. SECUNDUM SAECULUM. Trajanus (98-117) directe persecutionem non movit. Vigebat semper lex lata

---

(1) Tac., *Ann.*, 15, 44. Cf. Sueton., *Vit. Ner.*, 16, 2. Legenda est apud Tacitum, *loc. cit.*, descriptio tormentorum, quae talia fuerunt ut miserationem populi excitarent.

(2) *Ad Cor.*, 6.

(3) Tert., *Apol.*, 5.

(4) Sueton., *Domit.*, 15. Cf. Dio Cass., *Hist. Rom.*, 67, 14.

contra christianos: Non licet esse vos (1). Aggravata fuit lege contra haeterias aut collegia illicita. Eadem lege christiani conquirebantur in provinciis. Rescripto tamen dato Plinio, legato Bithyniae, c. 112, lex aliquo modo temperata est: "Conquirendi non sunt; si deferantur et arguantur, puniendi sunt; ita tamen, ut, qui negaverit se esse christianum, idque reapse manifestum fecerit, veniam ex paenitentia impetret" (2). Haec fuit jurisprudentia totius secundi saeculi. Celeberrimi martyres sub Trajano fuerunt Ignatius, episcopus Antiochenus (107), Simeon episcopus Jerosolymitanus, Clemens Romanus, Domitilla, Neraeus et Achillaeus.

Hadrianus (117-138) aequior fuit erga christianos. Rescripto dato Minucio Fundano, Serennii Graniani successori, proconsuli Asiae, vetuit ne clamoribus plebis postulantis necem christianorum indulgeretur (c. 125) (3). Scriptae sunt apologiae a Quadrato et Aristide, quae, ut videtur, bene disposuerunt Imperatorem. Attamen plures numerantur martyres, ipso regnante, inter quos Symphorosa et septem filii. Ejus successor Antoninus Pius (138-161) non mutavit dispositiones legis erga christianos. Vetuit ne tumultuose agerent contra ipsos. Justinus ei obtulit apologiam, c. 150. Passus est eo regnante Polycarpus Smyrnensis (155).

Marcus Aurelius (161-180) persecutionem excitavit contra christianos etsi novum edictum promulgatum non est (4). Precibus Legionis Fulminatae salvatus, dum bellum ageret adversus Marcomanos, non ideo cessavit persecutionem. Melito Sardianus, Apollinaris, Athenagoras, Justinus secundo, Theophilus apologias scripserunt. Praeclarissimi martyres in hac persecutione coronati sunt: Justinus (163), Felicitas romana (162), martyres Lugdunenses inter quos Pothinus et Attalus et Blandina (177); atque etiam juxta plures Caecilia nobilis virgo Romana. Sub Commodo (180-193) persecutio non adeo vehemens fuit. Martyrium tamen subierunt Apollonius senator, multi in Asia Mi-

---

(1) Tert., *Apol.*, 4, 3, 4.
(2) Plin., *Epist.*. 10, 97.
(3) Apud Eus., *Hist. Eccl.*, 4, 9. Cf. Just., *Apol. I*, 68.
(4) Tert., *Apol.*, 5. Cf, rescriptum ad proconsulem Galliae: "confitentes quidem gladio caederentur; hi vero qui negarent, dimitterentur incolumes". Apud Eus., *Hist. Eccle.*, 5, 1, 47.

ori, multi etiam Scilitani Carthagine (1). Anno 183 uxorem duxit Marciam cathecumenam certe vel forsan baptizatam, quae gratiam multorum christianorum ad metalla damnatorum obtinuit (2).

40. TERTIUM SAECULUM. Usque ad tertium saeculum, "permansit institutum Neronianum" (3). Imperatores rescripta dederunt, edicta persecutionis non tulerunt. A tertio saeculo res mutantur. Edicta specialia feruntur et persecutio magis ac magis directa fit, eo fine scilicet ut christiani non fiant, vel conversi, ad paganismum reducantur. In prima parte saeculi, paucis annis exceptis, Ecclesia pacem habuit, sed a tempore Decii (250), persecutio atrox perpetuo saeviit.

Septimius Severus (193-211) primo aeque tractavit christianos. Anno tamen 202 edictum tulit quo christianos "fieri sub gravi poena vetuit" (4). Persecutio haud parum aggravata est. Passi sunt in Africa Perpetua et Felicitas (203), in Aegypto Leonidas, Lugduni Irenaeus cum magna multitudine, Romae Victor Papa. Ante persecutionem (197), Tertullianus, presbyter carthaginensis, vehementes libellos *Apologeticum* et *Ad nationes*, in defensionem christianorum scripserat. Mortuo Septimio Severo, non cessavit persecutio. Minus tamen infensi fuerunt christianis successores ejus, Caracalla (211-217), Heliogabalus (217-222) et Alexander Severus (222-235). Hic ultimus a matre christiana edoctus, statuam Christi posuerat in Larario juxta statuas Orphei, Alexandri, etc. Callistus, ipso imperante, a plebe lapidibus obrutus est (222).

Maximinus Thrax (235-238) persecutus est christianos. Jamvero "solos antistites ecclesiarum, utpote evangelicae praedicationis auctores, interfici jussit" (5). Pontianus Papa et Hippolytus mortui sunt martyres in insula Sardiniae.

(1) Acta proconsularia authentica passionis ad nos usque pervenerunt. Ed. Robinson, in *Texts and Studies*, Cambridge, 1891, 1, 2, 112.
(2) Dio Cassius, *Hist. Rom.*, 72, 4.
(3) Tert., *Ad nationes*, 1, 7.
(4) *Hist. Aug.*, *Vit. Sev.*, 17, 1.
(5) Eus., *Hist. Eccl.*, 6, 28.

Gordianus Junior (238-244) et Philippus Arabs (244-249) pacem Ecclesiae reddiderunt. Juxta Eusebium (1), **fama** ferebat Philippum fuisse christianum. Uxor ejus Otacilia Severa litteris missis acceptisque Origenis familiaritate utebatur.

Decius (249-251) saevissimam excitavit persecutionem ut, si fieri posset, christianum nomen deleret. Eusebius edictum vocat *horrificum*, Cyprianus edicta *feralia* dicit (2). Torquebant fideles immani crudelitate, non ut eos punirent aut occiderent, sed ut a fide averterent. Impetebantur imprimis episcopi. Haud pauci fuerunt lapsi sive *sacrificati*, sive *libellatici* (3), multi vero constantes martyres, inter quos Fabianus Papa Romae, Abdon et Sennen, Felix Nolanus, magnus Origenes (4). Gallus (251-253), lue exorta, christianos cogere ut diis litarent voluit, ideoque multi passi sunt. Mortuus est martyr Papa Cornelius.

Valerianus (253-260) initio benevolus in christianos, mox edictum quo ipsis vetabat congregari, adire ecclesias, etc., poenamque exilii contra ministros sanciebat, promulgavit. Alterum edictum severius res aggravavit (258), multique animadversi atque occisi sunt. Passi sunt Sixtus Papa, Laurentius, Cyprianus (5), 153 africani viva calce obruti, proptereaque Massa Candida vocati. Gallienus (260-268) paternam crudelitatem non secutus, edictum tolerantiae promulgavit (6). Nondum tamen religio christiana erat licita et sub Claudio Gothico (268-270), quidam passi sunt martyres.

Aurelianus (270-275) ultimo regni sui anno persecutionem excitavit, edicto promulgato. Nec defuerunt martyres sub Probo (276-282) (7).

11. ULTIMA PERSECUTIO. Diocletianus (284-305) imperium divisit cum Maximiano (286), qui persecutus est

---

(1) *Hist. Eccl.*, 6, 34.
(2) *Epist.*, 58, 9.
(3) Cypr., *de Lapsis*, 7-9.
(4) Eus., *Hist. Eccl.*, 6, 39.
(5) 14a sept. 258. Acta proconsularia authentica habemus. P.L., 3, 1498.
(6) Ap. Eus., *Hist. Eccl.*, 7, 13.
(7) Cf. Allard, *Hist. des persécutions*, t. 3, p. 266 ss.

christianos: decimavit Legionem Thebanam, Agauni (St. Moritz) in Helvetia. Mox (292) duo Augusti sibi adjunxerunt Caesares, Galerium et Constantium Chlorum. Galerius infensissimus **erat christianis et assidue** urgebat Diocletianum ut persecutionem commoveret. Quod factum est anno 303. Quatuor edicta lata sunt: 1° Templa evertenda, Scripturae tradendae et exurendae, christiani juribus civilibus privandi. 2° Clerici in vincula conjiciendi. 3° Liberandi qui sacrificassent, tormentis gravissimis cruciandi qui renuerent. 4° (304) Occidendi quicumque christiani renuerunt diis sacrificare. Maximianus et Galerius atrociter saevierunt in provinciis suis, Constantius Chlorus mitior fuit in sua, Gallia. Constantinus, successor Constantii patris (306), mansuetudinem ejus imitatus est. Diocletianus deposuit purpuram (305) et Galerius successor atque Maximinus, Caesar factus, persecutionem continuaverunt. Moriturus tamen (311), Galerius edictum tolerantiae tulit: "Ut denuo sint christiani... Unde juxta nunc indulgentiam nostram debebunt Deum suum orare pro salute nostra et reipublicae et sua" (1). Huic decreto libenter subscripserunt Constantinus et Licinius anno 307 Caesar creatus.

Innumeri fuerunt martyres, in hac ultima persecutione, atrocissima tormenta. Passi sunt Georgius, Dorothea Caesareae; Romae Sebastianus, Anastasia, Agnes; Syracusis Lucia. "Alii quoque non pauci prae ignavia fracti animis primo statim impetu prae timore conciderunt" (2), sacrificatores vel traditores Scripturarum.

42. PAX STABILITER REDDITA ECCLESIAE (312-313). Anno 312, Constantinus signa tulit contra Maxentium (306), qui partibus ethnicorum ultima edicta tolerantiae aegre ferentium favebat et in ipsum infensa moliebatur, eumque devicit prope Romam ad Pontem Milvium (28a octobris 312). Hoste devicto, factus est Imperator totius Occidentis. Anno sequenti Constantinus et Licinius, Medio-

---

(1) Eus., *Hist. Eccl.*, 8, 7.

(2) Eus., *Hist. Eccl.*, 8, 3. Cf. de hac periodo, de Broglie, *L'Eglise et l'Empire Romain au IV siècle*, Paris, 1856, t. 1.

lini congressi, edictum tulerunt quo plena liberta christianis concedebatur (1).

Juxta Eusebium (2), Constantinus praelium initurus contra Maxentium vidisset in coelo crucem lucidam cum hac inscriptione graeca: Τουτωι νικα, i. e., hoc vince. Juxta hanc formam jussit confici vexillum quo milites uterentur. Illa miraculosa visio in dubium revocari non potest: Attestatur eam idem Eusebius in *Historia Ecclesiastica* (3); et Lactantius: "Commonitus in quiete ut coeleste signum Dei notaret in scutis atque ita proelium committeret" (4); ad illam non obscure alludit inscriptio arcus triumphalis Romae a senatu constituti: ***instinctu divinitatis.***

13. NUMERUS MARTYRUM INGENS. Persecutio duravit per 249 annos (64-313). Existimant christianos, in hac periodo, in pace fuisse per circiter 120 annos, dum persecutio saeviit per 129 annos. **Quot martyres perierint** difficile est aestimare, deficientibus testimoniis accuratis. Cavendum est ab exaggerationibus ex una vel altera parte. Neque consentiendum esse videtur iis qui autumant numerum martyrum non esse inferiorem 11 000 000, aut etiam 3 000-000, nec propterea dicendum cum Dodwell (5) martyres fuisse paucos, et martyrologia non esse nisi fabellas monachorum. Etsi non omnia sint sine discussione accipienda in martyrologiis, in actis martyrum, et in aliis documentis ejusdem generis, satis superque sunt indubie probata ut affirmari possit numerum martyrum fuisse ingentem. Martyrologium romanum recenset 13 828 martyres pro sola Urbe Roma. Tacitus (6) loquitur de *ingenti multitudine* occisorum sub Nerone, et Dio Cassius (7) dicit *multos periisse*. Sub Trajano *valde multi,* sub Marco Aurelio *innumerabiles*

---

(1) Lege verba edicti apud Lact., *De morte persec.*, 48, et Eus., *Hist. Eccl.*, 10, 5.

(2) *Vit. Const.*, 1, 27-29.

(3) 9, 9.

(4) *De morte pers.*, 44. Cf. *Paneg. Const.*, 2, 5.

(5) *De paucitate martyrum*, Oxon., 1684.

(6) *Ann.*, 15, 44.

(7) *Hist. Rom.*, 67, 14.

in universo orbe terrarum interfecti sunt, teste Eusebio (1). In persecutione Decii, juxta Cyprianum, *fluebat sanguis*(2). Adhuc longe crudelior fuit persecutio Diocletiani, quae per decem annos in toto imperio saeviit et innumeras victimas fecit. In Aegypto 30 vel 60 vel etiam 100 eodem die damnati sunt et occisi (3). Non potest tamen, ne conjectura quidem, numerus certus probabiliter proponi. Deficiunt enim elementa supputationis.

Fatendum est quasdam quandoque irrepsisse legendarias exaggerationes numerorum, sicut e. g. in casu sanctae Ursulae et sociarum, quae *numero* 11 000 propter castimoniam simul occisae fuissent. Sed numerus non cognoscitur nisi a saec. X, monumenta vero vetera silent. Inscriptio Clematii (saec. IV vel V) loquitur de *SS. virginibus quae pro Christi nomine sanguinem fuderunt*, de numero autem tacet.

§ 2. Scriptis oppugnant Ecclesiam pagani.

11. IRRISORES CHRISTIANORUM. Calamo non minus quam ense conati sunt pagani subvertere religionem Christi. Libelli scripti contra Ecclesiam fere omnes deperditi sunt, eo quod Theodosius II anno 448 tales jusserit comburendos esse. Quidam tamen asservati sunt, alii cognoscuntur ex refutationibus apologetarum christianorum. Generatim argumentari serio non conantur, sed irrident et calumniantur christianos.

Ex apologia Minucii Felicis, cui titulus *Octavius*, discimus Frontonem quemdam libellum edidisse in quo calumniabatur christianos. Possidemus satiram Luciani Samosateni: *De morte Peregrini* (4), in qua irridet christianos. Ex opere Origenis *Contra Celsum* (248), cognoscimus opus deperditum hujus philosophi pagani platonici, *Sermo verus*, quod scripserat (c. 178) contra christianos. Praeter oppugnationem religionis mosaicae et christianae, et apologiam paganismi, omnimodis facetiis irridet Celsus Christianismum et ejus auctorem.

(1) *Hist. Eccl.*, 3, 34 et 5, 1.
(2) *De mortal.*, in fin.
(3) Eus., *Hist. Eccl.*, 8, 9.
(4) Peregrinus est christianus apostata.

45. NEOPLATONICI. Paganismum collabentem conati sunt suffulcire philosophi Neoplatonici. Fabulas mythologicas, quibus vix ullus sincere adhuc credebat, inceperunt explicare sensu allegorico ut eas ab immoralitate et absurditate purgarent. Simul acriter christianismum impugnabant. — Plotinus (+261) dici potest inventor hujus systematis. — Porphyrius, ejus discipulus, scripsit quindecim libros contra christianos, quorum pauca fragmenta supersunt. Conatus est, irrito sane labore, paganismum expurgare. Objurgat et ipse christianos de atheismo, de libidine, de infantium caede. — Philostratus (c. 220-230), scripserat vitam Apollonii Tyanaei, quem nimiis laudibus extollit et auctorem miraculorum facit atque Christo aequiparat. Apollonius primo saeculo vixit et conatus est, exiguo tamen successu, propagare doctrinam neopythagoricam. — Argumenta et ludibria Philostrati et Porphyrii et Celsi, Hierocles (mort. post 305) proconsul Bithyniae, infensus christianorum persecutor, in opere suo *Sermo verax* congessit.

46. CRUX IRRISORIA ROMANA. Documentum coaevum calumniarum et ludibriorum quibus impetebantur christiani habemus in cruce irrisoria in muro depicta, quam invenit Garrucci in Palatino (1856). Alexamenos quidam supponitur adorare crucifixum, cui caput asini impositum est. Subscriptio addita est: Alexamenos adorat deum suum.

---

§ 3. Diffusio Ecclesiae in mundo initio saeculi quarti (1)

47. MIRABILIS PROPAGATIO. Mirabilis fuit propagatio Christianismi, non obstante tanta persecutione et oppositione. Quando Constantinus reddidit pacem Ecclesiae, in quibusdam civitatibus major pars erat christiana, nomenque paganorum (*incolae pagorum*) dabatur ethnicis. Sed fides etiam apud agricolas sparsa erat, praesertim in Asia Minori, Armenia, Syria, Aegypto, Palaestina et Africa septentrionali.

(1) Cf. Rivière, *La propagation du Christianisme dans les trois premiers siècles*, Paris, 1907.

Inter regiones ubi fere media pars incolarum erant christiani numerari possunt: Asia Minor, in qua primum fides praedicata est ad gentes, Thracia et Armenia. — In regionibus sequentibus erant magna pars incolarum christiani: Antiochia, quae misit 19 episcopos ad concilium Nicaenum; Cyprus, quae misit 3; Aegyptus, ubi erat celebris ecclesia Alexandrina; Africa proconsularis, ubi erat Carthago metropolis cum 250 aliis ecclesiis; Roma et partes meridionales Italiae (1). Hispania, ubi congregati sunt fere 40 episcopi in concilio Eliberitano (c. 300); littora Macedoniae, Thessaliae, Achaiae, atque etiam Galliae meridionalis.—Sat magnus numerus christianorum erant in Palaestina, Phoenicia, in quibusdam civitatibus Arabiae et Mesopotamiae, in interiore Achaia, Thessalia et Macedonia, in Epiro, Dalmatia, Pannonia et Moesia, Mauritania et Tripoli, in superiore Italia. — Pauci tantum erant in Persia, India, Scythia, in Ponti Euxini littore, in interioribus Galliis ut videtur. Quoad Gallias, non audiendi sunt qui volunt fere omnes ecclesias praecipuas esse fundatas a discipulis Apostolorum. "Serius trans Alpes religione suscepta" (2). In provincia Belgica item pauci erant christiani. Idem dicatur de Germania etsi quidam fuerint episcopi ante tempora Constantini. In concilio Arelatensi (314) erant 3 episcopi Anglici.

Unde patet quam late diffusa esset fides et quam alte radices egisset in populis, saevientibus persecutionibus. Recte potuit exclamare Tertullianus: "Plures efficimur quoties metimur a vobis: semen est sanguis Christianorum" (3).

---

(1) Existimantur fuisse Romae 150 000 christiani; erant plus quam 40 basilicae, et 100 episcopi dependebant ab Ecclesia Romana.

(2) Sulpic. Sever., *Hist. Sacr.*, 2, 32.

(3) *Apol.*, 50.

CAPUT TERTIUM

HIERARCHIA ECCLESIASTICA.

---

§ 1. Episcopi Romani. Eorum primatus.

48. EPISCOPI ROMANI (1). Nihil est dubitationis quin Petrus successores immediatos habuerit in sede romana. De hoc enim antiquissimi catalogi episcoporum romanorum certissimos nos faciunt. Antiquiorem omnium confecit Hegesippus, qui Romam venit sub Aniceto (157-168) et scripsit *Commentaria* circa 180. Eusebius, in sua *Historia Ecclesiastica*, citat illa *Commentaria* et auctoritate Hegesippi innititur (2). Irenaeus alium catalogum tradit in opere suo *Adv. Haer.* (3), quem etiam cognovit et citat Eusebius (4). Etsi Tertullianus catalogum episcoporum romanorum non reliquit, non obscure alludit ad successionem apostolicam ecclesiae romanae (5). Epiphanius, eumdem refert catalogum, probabiliter depromptum ex opere Hippolyti deperdito, quod pedetentim sequi eum suspicantur (6). Catalogus Liberianus recenset nomina episcoporum romanorum usque ad tempora Liberii (352-...).

Ex his documentis series completa successorum Petri restitui potest, etsi annus accessionis eorum non potest cum certitudine determinari ante Eleutherium (175). Haec autem sunt nomina praecipuorum pontificum trium priorum saeculorum. Pontifices primi saeculi sunt post sanctum Petrum, Linus, Anacletus, qui non debet distingui a Cleto, ut quidam opinati sunt, et Clemens, auctor epistolae celeberrimae ad Corinthios (7).

---

(1) Cf. Duchesne, *Le Liber Pontificalis*, Paris, 1886-1892.
(2) Apud Eus., *Hist. Eccl.*, 4, 22.
(3) *Adv. Haer.*, 3, 3.
(4) Eus., *Hist. Eccl.*, 5, 24.
(5) Tert., *Praesc.*, 36.
(6) Epiph., *Adv. Haer. Pan.*, 27, 6. Cf. Bardenhewer, *Gesc. der Alt. Lit.*, Freiburg, 1912, t. 3, p. 298.
(7) Petrus, ?42-67 — Anacletus, 76-88?
Linus, 67-76? — Clemens I, 88-97?

In secundo saeculo (1) commemorari debet Victor (189-199), qui conatus est finem imponere controversiae paschali.

In tertio saeculo (2), mentio facienda est praesertim Callisti (217-222), qui benigne se gessit in disciplina paenitentiaria et propterea impugnatus est ab Hippolyto; Cornelii (251-253), qui et ipse clemens fuit erga *lapsos* in persecutione et vidit schisma Novatiani; Stephani (254-257), qui diremit controversiam de validitate baptismi ab haeretico collati, quam aegre admittebant Cyprianus et Africani.

49. PRIMATUS. Negari non potest primatum jurisdictionis a Christo Petro et successoribus collatum fuisse (3). Jamvero in initio societatis, in tam angustis temporibus, quando omnia erant constituenda, non debemus expectare, neque in Petro neque in primis successoribus, exercitium hujus potestatis eodem modo ac post completam et perfectam formationem Ecclesiae et in rerum adjunctis omnino diversis.

Gravissime vero erraret qui negare auderet episcopos romanos tribus prioribus saeculis primatum unquam exercuisse. Vix enim aut nondum mortuo Joanne, ultimo Apostolorum, Clemens, quartus a Petro successor, *potentissimas litteras* (4) ad Corinthios scripsit (c. 96), non monendo quidem, sed imperando et minitando, ad restaurandam pacem *seditione contra presbyteros* turbatam (5). Victor (189-199) episcopis Asiae Minoris imposuit usum romanum in celebra-

(1) Evaristus,	97-105?	Pius I,	140-156?
Alexander,	105-115?	Anicetus,	156-166?
Sixtus I,	115-125?	Soter,	166-175
Telesphorus,	125-136?	Eleutherius,	175-189
Hyginus,	136-140?	Victor,	189-199
(2) Zephyrinus,	199-217	Stephanus I,	254-257
Callistus I,	217-222	Sixtus II,	257-258
Urbanus I,	222-230	Dionysius,	259-268
Pontianus,	230-235	Felix I,	268-274
Anterus,	235-236	Eutychianus,	275-283
Fabianus,	236-250	Cajus,	283-296
Cornelius,	251-253	Marcellinus,	296-304
Lucius,	253-254		

(3) Tanquerey, *Syn. Theol. Fund.*, ed. 14, Parisiis, 1911, pp. 426 ss.

(4) Iren., *Adv. Haer.*, 3, 3.

(5) *I Clem.*, 47, 6 ss. Cf. Batiffol, *Etudes d'histoire et de théologie positive*, 2 éd., Paris, 1902, p. 235 ss.

tione Paschae eisque, nisi obtemperarent, abscissionem a communione sua saltem minitatus est. Callistus (217-222) decretum generale tulit quo promulgabatur modus agendi mitior cum quibusdam paenitentibus. Propter quod irridetur a Tertulliano jam Montanista facto: "Audio etiam, inquit, edictum esse propositum et quidem peremptorium: Pontifex Maximus scilicet, quod est episcopus episcoporum, edicit: Ego et moechiae et fornicationis delicta paenitentia functis dimitto" (1). Episcopi romani invigilabant ne fides depravaretur et nonnunquam doctissimi viri, etiam episcopi, recursum habuerunt ad ipsos "sive ad reddendam rationem fidei suae, sive ad controversiam componendam, aut consilii causa, vel ad exquirendam approbationem particularium conciliorum" (2). Sic Origenes ad Fabianum, Cyprianus ad Cornelium et Stephanum, Dionysius episcopus Alexandrinus ad Dionysium.

Immo primatus de facto implicite agnoscebatur ab imperatore Aureliano, cum juberet domum Antiochenam reddendam esse "iis quibus Italici christianae religionis antistites et *Romanus episcopus* scriberent" (3).

---

§ 2. Regimen primarum ecclesiarum. Episcopi. Origo episcopatus. Sedes episcopales (4)

50. HIERARCHIA TRIPLICIS ORDINIS. Inde a saeculo secundo ineunte, saltem in Asia Minori, Ecclesia apparet ut societas hierarchica, triplici ordine constans: episcopo, in quo omnis residebat auctoritas; presbyterio et diaconis, qui episcopo, etiam in his quae ad propria munera spectabant, oboedire debebant: et laicis (5), qui clero oboe-

(1) Tert., *de Pud.*, 1.

(2) Tanquerey, *op. cit.*, p. 460; cf. seq.

(3) Eus., *Hist. Eccl.*, 7, 30.

(4) Cf. articulum *Evêques. Origines de l'épiscopat*, par le P. Prat, in *Dict. de Théol.*, t. 2, 1656-1701. — Michiels, *L'origine de l'épiscopat*, Louvain, 1900. — Batiffol, *La hiérarchie primitive*, in *Etudes d'histoire et de théologie positive*, 2 éd., Paris, 1902, pp. 223-227. — Id., *L'Eglise naissante et le catholicisme*, 5 éd., Paris, 1911, passim. (anglice versum, Smith). Tanquerey, *Syn. Theol. Fund.*, 14 ed., Parisiis, 1911, pp. 402 ss.

(5) Vox adhibetur jam a Clemente (c. 96), *Ad Cor.*, 40.

diebant et nulla auctoritate pollebant. Hoc certo certius demonstrant epistolae Ignatii (c. 107): "Omnes, inquit, episcopo obtemperate, ut Jesus Christus Patri, et presbyterio ut Apostolis; diaconos autem revereamini ut mandatum Dei. Separatim ab episcopo nemo quidquam faciat eorum, quae ad ecclesiam spectant" (1). "Studeatis igitur una eucharistia uti: una enim est caro Domini Jesu Christi, et unus calix in unitatem sanguinis ipsius, unum altare, sicut unus episcopus, cum presbyterio et diaconis, conservis meis; ut, quod faciatis, secundum Deum faciatis" (2). Hierarchia ita constituta erat in omnibus ecclesiis diu ante finem secundi saeculi.

51. EPISCOPUS. Unicus erat episcopus in singulis ecclesiis, ita ut inauditum sit duos episcopos legitimos unquam in eadem sede simul extitisse. Quandoque episcopus sibi assumebat episcopum coadjutorem, hic vero auctoritatem tantummodo delegatam habebat.

Potestas. Auctoritas episcopi erat omnino suprema et independens in ecclesia sua. Solus episcopus admittebat novos christianos et a communione ecclesiae abscindebat indignos. Solus praedicabat et nullus jus habebat praedicandi absque ejus licentia. Ipse solus baptizabat, celebrabat Eucharistiam, peccatores reconciliabat, assistentibus tantum et ministrantibus presbyteris.

Electio. In Novo Testamento, videmus pastores ecclesiarum constitutos ab Apostolis et non electos a populo. *Hujus rei gratia reliqui te Cretae, ut ea quae desunt corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi* (3). Electio tamen non fiebat sine quadam consultatione aut approbatione populi. Post Apostolos episcopi eligebantur a clero et episcopis vicinis, a concilio provinciae, sed, primis temporibus, votum populi semper exquirebatur, testante Cypriano: "Diligenter, inquit, de traditione divina et apostolica observatione servandum est et tenendum, quod apud nos quoque et fere per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas ad eam plebem, cui praepo-

(1) Ign., *Ad Smyr.*, 8.
(2) Ign., *Ad Phil.*, 4.
(3) *Tit.*, 1, 5.

situs ordinatur, episcopi ejusdem provinciae proximi quique conveniant, et episcopus deligatur plebe praesente, quae singulorum vitam plenissime novit et uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit" (1). Non requirebatur confirmatio episcopi romani. In casu autem dissidii ad ipsum nonnunquam recursum habebant. Confirmatio dabatur sub forma litterarum communionis a conciliis, a metropolita vel ab episcopo romano. Consecratio fiebat ab episcopis vicinis impositione manuum (2).

52. ORIGO EPISCOPATUS. Hierarchia taliter constituta non invenitur in Evangeliis, neque etiam in Epistolis Pauli. Terminus est evolutionis cujus character et praecipua stadia exponenda sunt.

Notandum est nomina *presbyter* et *episcopus* esse synonyma in Novo Testamento et in primitiva Ecclesia. "Eosdem, ait Hieronymus, episcopos illo tempore quos et presbyteros appellabant" (3). Eodem modo sentiunt Chrysostomus, sanctus Thomas et alii, et est manifeste sensus quatuor textuum in quibus vox *episcopus* vel *episcopatus* invenitur, nempe *Ac.*, 20, 17, 28; *Phil.*, 1, 1; *Tit.*, 1, 5-7; *I Tim.*, 3, 1-2. Quoad rem, illi episcopi-presbyteri, nihil aliud sunt nisi presbyteri.

Tempore Apostolorum. In ipsis incunabulis Ecclesiae, Apostoli quibus singulis personaliter tradita erat plena potestas regendi, docendi et sanctificandi Ecclesiam, totam constituebant hierarchiam. Hierarchia magis completa supponit communitatem numerosam quae nondum existebat. Crescente vero numero discipulorum, Apostoli instituerunt diaconos, quibus delegaverunt partem auctoritatis suae. In ecclesiis fundatis extra Palaestinam, apud gentiles, quando sufficiens erat numerus fidelium, constituerunt rectores ecclesiarum, ut videre est in ecclesiis a sancto Paulo conditis. Viventibus Apostolis, rerum status erat omnino specialis. Apostoli enim, propter missionem suam universalem et assistentiam specialem Spiritus Sancti, auctoritatem absolutam

(1) Cypr., *Ep.*, 67, 5.
(2) *II Tim.*, 1, 6.
(3) Hier., *in Tit.*, 1, 5, 12.

et completam in Ecclesiis a se fundatis retinebant. Aliunde ministerium extraordinarium prophetarum et doctorum charismatibus praeditorum supplebat, aetate apostolica, defectum hierarchiae aut illam reddebat minus necessariam. Ideoque *episcopi*, singulis ecclesiis ab Apostolis praepositi non erant episcopi veri nominis, sed simplices sacerdotes collegialiter regentes ecclesiam, quosque visitabant legati nomine et auctoritate Apostoli. Hoc est certum saltem pro ecclesiis a Paulo fundatis (1).

Post Apostolos. Nullum potest esse dubium Apostolos habuisse successores immediatos qui ecclesiam sibi commendatam propria auctoritate regerent, cum praerogativis supra descriptis et quidem ex voluntate ipsa Apostolorum. Hoc non potest probari pro omnibus ecclesiis, sed constat pro praecipuis, quarum antiqui catalogi episcopales extant: Roma (2), Antiochia, Alexandria, Jerusalem. Quandoque quaedem incerta remanent, annus accessionis, chronologia, etc., sed factum successionis, nomina, plerumque ordo ipse successionis in dubium revocari non potest. Immo non desunt vestigia institutionis directae episcoporum ab Apostolis factae (3). Timotheus et Titus vere episcopalem exercuerunt auctoritatem, etsi, dum vixit Paulus, in nomine ejus tantum. Juxta testimonium expressum Tertulliani, Polycarpus fuit institutus episcopus Smyrnaeorum a Joanne (4). Ideoque Tertullianus appellat ad originem apostolicam ecclesiarum tanquam ad factum publicum: "Edant ergo origines ecclesiarum suarum; evolvant ordinem episcoporum suorum ita

---

(1) Cf. Prat, *Théologie de saint Paul*, 4 éd., Paris, 1909, pp. 478-479. — "L'organisation de la hiérarchie primitive se conçoit donc ainsi: des diacres, des presbytres-épiscopes ou simples prêtres gouvernant en corps les Eglises particulières, sous la direction des Apôtres ou de leurs délégués, les évêques ubiquistes, ou évêques au sens actuel du mot, mais sans siège fixe et sans appellation particulière, comme Timothée et Tite, enfin les Apôtres. Il n'y eut d'évêques au sens actuel du mot avec un siège fixe, qu'après la disparition des Apôtres. Cependant quelques rares Eglises étaient déjà gouvernées par un évêque à poste fixe (*Asia Minor, Roma, Antiochia, Alexandria*)." Compte-rendu de Michiels, *L'origine de l'épiscopat*, in *Revue Biblique*, 1901, p. 130.

(2) Cf. sup. p. 43.

(3) Cf. *Apoc.*, 1 et 2.

(4) Tert., *Praesc.*, 32.– Cf. Iren., *Adv. haer.*, 3, 3, 4. *Apoc.*, 1, 20.

per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex Apostolis, vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem" (1).

Explicatio rationalistarum. Diversa sunt eorum systemata ad explicandum factum existentiae episcorum in omnibus ecclesiis saeculo secundo. Juxta Renan et Tubingenses, explicaretur per abdicationem potestatis presbyterorum in favorem unius. Juxta Harnack, Réville et alios, explicaretur potius per usurpationem.

Conclusio. Tales explicationes nihil explicant et manifeste contradicunt veritati historiae, quam aequabiliter exposuimus. Praeter testimonia explicita Clementis Romani (96), viri apostolici (2), Irenaei (3), et aliorum, de origine apostolica episcopatus, nobis fidem faciunt catalogi episcopales antiqui, quorum authenticitas est omni exceptione major, et ad quos jam solemniter appellabat Tertullianus (4). Quanquam, dum viverent Apostoli, veri episcopi praeter ipsos regulariter saltem non exstiterint, compertum habemus ipsos post mortem immediatos habuisse successores. Hoc autem profecto fieri non potuit contra intentionem Apostolorum.

53. SEDES EPISCOPALES. Sedes episcopales fuerunt primo paucae numero. Ita in Palaestina, Aegypto, Antiochia Syriae, ut videtur, usque ad finem saec. II fuit, et juxta Duchesne, in Occidente usque ad saec. IV. Crescente vero numero fidelium, multiplicatae sunt supra numerum. Tempore sancti Athanasii, inveniebantur plus quam centum episcopi in Aegypto. In Africa romana, tempore Cypriani (+258), erant 150. Collationi cum Donatistis an. 411 interfuerunt plus quam 550 episcopi, circiter 200 absentibus omissis. Regulariter, in singulis civitatibus erat una ecclesia, et in singulis ecclesiis erat unus episcopus. Inde invaluit usus ordinandi episcopos pagorum, chorepiscopos (saltem a saec. III), quando fideles sat multi fuerunt in agris. Chore-

---

(1) Tert., *Praes.*, 32.

(2) Clem., *Ad Cor.*, 42, 1. "Ob eam causam, perfecta praescientia praediti, constituerunt praedictos (apostoli) ac deinceps ordinationem dederunt, ut, cum illi decessissent, ministerium eorum alii viri probati exciperent". *ib.*, 44, 2.

(3) *Adv. Haer.*, 3, 3, 1.

(4) Tert., *Praesc.*, 32.

piscopi omnino subjiciebantur episcopo civitatis. Episcopus civitatis principalis convocabat synodos annuas atque eis praesidebat. Moderabatur electionem et consecrationem et confirmationem episcoporum provinciae.

§ 3. Presbyteri et diaconi. Alii ministri. Caelibatus clericorum.

54. PRESBYTERI. Presbyteri constituebant secundum gradum hierarchiae. Quoad potestatem quam nunc vocamus potestatem ordinis, non videtur fuisse ab initio magnam distinctionem inter episcopos et presbyteros. Quando necessitas ferebat, numerus plus minusve magnus presbyterorum adjungebantur episcopo et coadjuvabant eum. Presbyterium seu corpus presbyterorum pluribus, quandoque duodecim constabat presbyteris. Nihil poterant in ecclesia nisi de licentia episcopi. Ipsum autem supplebant absentem aut impeditum.

55. DIACONI. Diaconus (*minister*) non erat simplex apparitor (*sacristanus*), sed minister auctoritate praeditus et distinctus a laicis. Instituti fuerunt ab Apostolis ut ministrarent loco ipsorum ad agapas. Postea autem coadjutores fuerunt episcoporum et presbyterorum in administratione sacramentorum et in regimine ecclesiae (1). Ipsis reservabantur omnes functiones quae serius attributae sunt ordinibus minoribus. Nobiliores tantum nunc retinent. In praecipuis ecclesiis septem erant diaconi (in ecclesia Romana saltem a med. saec. III), quorum primus vocabatur diaconus episcopi. Laurentius (+258) diaconus Sixti II erat.

56. INFERIORES ORDINES. Legenda breviarii romani tribuit Hygino (130-142) institutionem ordinum minorum (2), deficiunt vero antiqua testimonia. Probabilius forsan reponenda est haec institutio initio saec. III. Nominantur enim septem ordines in litteris papae Cornelii (251-253) ad Fabium episcopum Antiochenum: "In qua, tamen, inquit, sciebat (Novatus) presbyteros quidem esse sex quadraginta, septem autem diaconos, totidemque subdiaconos,

(1) Just., *Apol. I*, 65, 67.
(2) 17a jan.

acolythos duos et quadraginta, exorcistas et lectores cum ostiariis quinquaginta duos" (1).

Diaconissae exstiterunt a tempore apostolico (2) usque ad saeculum sextum. Ministrabant mulieribus ad agapas, ad baptismum conferendum, aegrotantes visitabant (3). Nullam autem potestatem ordinis habebant (4).

57. INSTITUTIO ET SUSTENTATIO CLERI. Clerici eligebantur ab episcopo, non tamen sine quadam participatione Spiritus Sancti (5). Sententia aut votum populi saepe petebatur. Spiritus Sanctus supplebat defectum formationis clericorum, de caetero neophytus non eligebatur et multae dispositiones exigebantur (6). A saeculo secundo inceperunt florere scholae catecheticae et theologicae Alexandriae, Antiochiae, atque etiam Romae, Edessae, Jerosolymis. Exponebantur Sacrae Litterae.

Initio clerus labore sibi providebat necessaria vitae, juxta exemplum Pauli (7). Postea autem spontaneis oblationibus fidelium sustentabantur. In pluribus ecclesiis oblationes singulis mensibus inter clericos dividebantur. Quaedam ecclesiae bona ecclesiastica possidebant. A tempore Cypriani vetitum erat clericis vacare negotiis saecularibus.

58. DE CAELIBATU CLERICORUM. Apostoli non videntur praescripsisse caelibatum clericis. Sine dubio tamen inde ab aetate apostolica, perfecta continentia observata est a quibusdam et praesertim a majoribus clericis. Haec erat certe mens Apostolorum (8). Ad observationem perfectam caelibatus neque statim neque ubique perventum est. Primo statutum est episcopum et presbyterum *unius uxoris virum* (9) esse debere. Mox invaluit usus abstinendi a matrimonio

(1) Apud Eus., *Hist. Eccl.*, 6, 43.
(2) Cf. Plin., *Epist.*, 10, 96, 2.
(3) Cf. Epiph., *Adv. Haer.*, 79, 3. *Const. Apost.* (c. 400), 3, 16, 1.
(4) Cf. *Const. Apost.*, 8, 28, 2.
(5) Cf. Prat, *Théologie de saint Paul*, Paris, 1912, t. 2. p. 438 et t. 1, p. 480.
(6) Cf. *I Tim.*, 3, 1-10; *Tit.*, 1, 5-9.
(7) *II Thes.*, 3, 8; *I Cor.*, 4, 12.
(8) Cf. *I Cor.*, 7.
(9) *I Tim.*, 3, 2.

antea contracto post susceptionem sacerdotii et praesertim episcopatus. Nunquam permittebatur contrahere matrimonium post susceptos ordines, sed libertas cohabitandi cum uxore concedebatur (1).

Quidam cogitaverunt de illa libertate tollenda in Concilio Nicaeno, sed noluit assentire Paphnutius, episcopus Aegyptiacus, ipse caelebs, dicens hanc esse veterem Ecclesiae traditionem, atque idcirco nil statutum est a Patribus. Usque ad saec. IV, nulla fuit diversitas inter Occidentem et Orientem. Prima praescriptio relate ad caelibatum clericorum videtur lata fuisse a synodo Eliberitana (c. 300).

(1) Cf. art. *Célibat*, a Vacandard, in *Dict. de Théol.*, t. 2, col. 2048-2076.

CAPUT QUARTUM

DISCIPLINA ECCLESIASTICA.

---

§ 1. Sacramenta. Baptismus. Confirmatio. Eucharistia (1)

59. SACRAMENTA. Historice certissimum est exstitisse ab initio christianismi quosdam ritus sacros, quorum receptio erat necessaria. et quibus conferebatur gratia. Vocabantur autem mysteria aut sacramenta. Sanctus Paulus in epistolis suis alludit saltem ad quinque : ad Baptismum scilicet et Confirmationem et Eucharistiam et Ordinem et Matrimonium (2) Inter illos ritus eminebant tres ritus initiationis christianae, nempe Baptismus et Confirmatio et Eucharistia.

60. BAPTISMUS. *Catechumenatus.* Temporibus apostolicis qui credebant statim baptizabantur, saltem in Palaestina. Sufficiebat enim praeparatio judaismi. Posteriori aetate, quando ethnici conversi sunt, necessaria fuit quaedam specialis praeparatio, nam ne praecipuas quidem veritates religiosas et morales sciebant. Re enim vera pagani non sine magna cautela in coetum fidelium recipiebantur et ad baptismum non admittebantur nisi post quoddam tempus probationis quod vocabatur *catechumenatus* (a ΚΑΤΗΧΕΩ, *viva voce doceo*). Catechumeni considerabantur ut christiani et ritu

---

(1) Cf. Convenientes articulos in *Dictionnaire de Thélogie;* Articulos. *Agapes, Catéchumènes* in *Dictionnaire d'Archéologie et de liturgie.*—Duchesne, *les Origines du culte chrétien,* 3 éd., Paris. 1905. Batiffol, *Etudes d'histoire et de théologie positive,* Paris, 1902.

(2) Cf. Prat, *Théologie de saint Paul,* Paris, 1912, t. 2, p. 367 ss.

speciali initiabantur. Renuntiare debebant quibusdam artibus spectantibus ad cultum idolorum. Histriones, gladiatores, magi non admittebantur; servi non recipiebantur absque licentia domini. Docebantur a catechistis doctrinam Christi, Scripturas, symbolum, praecepta moralia, et sese exercebant ad praxim virtutum. Licebat illis adire ecclesiam, sed stabant in loco speciali, separati a fidelibus. Intererant primae parti missae; audiebant orationes, evangelii lectionem et homiliam, sed dimittebantur ad offertorium. Catechumeni lapsi paenitentiam agere debebant. Post biennium aut triennium, episcopus diligenti examine inquirebat utrum digni essent baptismo. Exigebantur scientia sufficiens et sanctitas vitae. Martyrium catechumeni pro baptismo habebatur, et vocabatur baptismus sanguinis.

Collatio baptismi. Catechumeni quos episcopus dignos judicaverat vocabantur electi, et incipiebant praeparationem immediatam ad baptismum. Jejunabant unam vel alteram diem ante diem statutam pro collatione baptismi, generatim dominicam. Die praecedenti veniebant ad ecclesiam ad vesperam et totam noctem vigilabant, audientes ultimas instructiones et sacras orationes ad Deum dirigentes. Summo mane recipiebant Baptismum et Confirmationem. Intererant missae et primam communionem faciebant.

Ritus baptismi paululum differunt secundum regiones, sed ubique haec tria inveniuntur: abrenuntiatio Satanae, professio fidei et triplex ablutio. Baptismum solemnem solebat conferre episcopus aut de ejus licentia presbyter vel diaconus. In casu autem necessitatis cuicumque licitum erat baptizare. Baptismus regulariter conferebatur per immersionem saltem a tempore quo fontem baptismalem aedificare potuerunt, sed baptismus per infusionem et per aspersionem fuit in usu ab initio (1), et remansit in usu in casu necessitatis, e. g. quando baptizabantur infirmi.

Sine dubio baptizabantur etiam infantes ex parentibus christianis nati, qui tamen primis temporibus multi esse non poterant. Origenes dicit "Ecclesiam hanc traditionem ab

---

(1) *Didachè*, 7, 3.

Apostolis suscepisse" (1). Cyprianus testatur eamdem fuisse consuetudinem in Africa (2). Illam autem non probabat rigorista Tertullianus (3). Attamen multi, pietatis causa aut saepe propter negligentiam, usque ad adultam aetatem, imo usque ad mortem expectabant antequam reciperent baptismum.

Controversia baptismalis. Initio tertii saeculi gravis orta est controversia de validitate baptismi ab haereticis collati. A tempore Tertulliani, in Africa et in Asia Minori, rebaptizabantur haeretici. Tertullianus circa 200 libellum *De Baptismo* scripsit ad hanc praxim vindicandam. Synodi plures eidem favent. Anno 254 Stephanus papa minatus est excommunicationem Firmiliano Caesareensi nisi mutaret sententiam. Hoc autem nonobstante, synodi carthaginenses, auctore Cypriano, annis 255 et 256 declaraverunt baptismum haereticorum esse invalidum. Quam doctrinam reprobavit Stephanus celeberrimis his verbis: "Nihil innovetur nisi quod traditum est" (4). Caeteroquin ipse Cyprianus attestatur antiquam esse consuetudinem: "Qui ratione vincuntur, inquit, consuetudinem nobis opponunt" (5). Minime tamen assensus est Cyprianus Pontifici Romano et cum Firmiliano parabat resistentiam. Finem autem controversiae fecit persecutio Valeriani. Stephanus mortuus est anno 257, et Cyprianus anno sequenti. Usus rebaptizandi haereticos deinceps gradatim cessavit.

61. CONFIRMATIO. Confirmatio rarissime separabatur a baptismo. Catechumeni statim post baptismum adducebantur ad episcopum ut eos ungeret et illis imponeret manus ad Spiritum Sanctum recipiendum. A solo episcopo, saltem in Occidente, conferebatur. Ritus ille initio non distinguebatur a baptismo, sed tenebatur necessarius ad Spiritum Sanctum recipiendum, et omissus semper supplebatur (6).

(1) Origen., *in Rom.*, (p. 244), 5, 9.
(2) Cypr., *Epist.*, 64 (252), 2; non est expectanda dies octava.
(3) Tert., *De Bapt.*, 18, 19; "cunctatio baptismi utilior est, praecipue tamen, circa parvulos".
(4) Cypr., *Ep.*, 74.
(5) Cypr., *Ep.*, 73.
(6) Cf. *Ac.*, 8, 14ss.

62. **EUCHARISTIA** (1). In ultima coena pridie quam pateretur, Christus Apostolis dixerat: *Hoc facite in meam commemorationem* (2). De facto ita fecerunt, et, paucis diebus post Pentecosten videmus fideles *perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione fractionis panis* (3). Haec imitatio ultimae coenae dominicae erat pars potior cultus. Vocabatur *fractio panis, liturgia* (*ministerium*), *synaxis* (*congregatio, communio*), *eucharistia* (*gratiarum actio*). Legebantur partes Veteris Testamenti, cantabantur psalmi, deinde fiebat lectio Epistolarum et Evangelii et postea homilia. Haec pars vocabatur missa catechumenorum. Incipiebat autem missa fidelium dimissis catechumenis. "Deinde ei, qui fratribus praeest, panis affertur, et poculum aquae et vini.... Postquam preces et eucharistiam absolvit, populus omnis acclamat, Amen... Qui apud nos dicuntur diaconi panem et vinum et aquam. in quibus gratiae actae sunt, unicuique praesentium participanda distribuunt, et ad absentes perferunt" (4). Omnes igitur accedebant ad sacram communionem quoties missae intererant, id est, ut testatur idem Justinus (5), "die Solis", singulis dominicis. Serius invaluit usus deferendi sacram Eucharistiam domum, ut frequentius communicarent (6). Post institutionem festorum et anniversariorum martyrum pluries in hebdomada et mox quotidie sacra mysteria peregerunt, assistentibus et communicantibus piis fidelibus.

Communio generatim fiebat sub utraque specie, saepe etiam sub una tantum specie panis quem manu accipiebant, dicentes: Amen. Infantes admittebantur ad sacram synaxim sub specie vini.

Disciplina arcani. De Eucharistia praesertim vigebat disciplina arcani, id est, usus loquendi de mysteriis sub verbis velatis et symbolicis tantum, quae ab initiatis solis plene intelligerentur (7). Et ipsis catechumenis non statim revela-

---

(1) Batiffol, *L'Eucharistie*, 6 éd., Paris, 1903.
(2) *Lc.*, 22, 19.
(3) *Ac.*, 2, 42.
(4) Just., *I Apol.*, 65, 3 ss.
(5) Just., *I Apol.*, 67, 3.
(6) Tert., *De orat.*, 19; *Ad uxor.*, 2, 5.
(7) Non agitur de lege ecclesiastica, sed de consuetudine introducta a prudentia et pietate pastorum et fidelium.

batur mysterium eucharisticum. Praecipua symbola eucharistica erant: piscis (1), agnus, mulctra, panarium, etc. Pagani symbola non intelligentes, accusabant christianos quasi carnem infantis comederent ejusque sanguinem biberent in conventibus suis.

Agapae. Secundum opinionem communiter receptam, Eucharistia ab initio celebrabatur post quamdam coenam; hic mos vigebat a temporibus apostolicis (2). Illa pia coena fiebat in honorem ultimae coenae Domini et ad fovendam caritatem inter fideles. Inde nomen agapae (*amor, caritas*). Unusquisque fidelium secum afferebat ad ecclesiam cibum et potum; quidquid autem attulerant ponebatur in mensa communi, ad quam sine distinctione accumbebant divites et pauperes. A saeculo secundo agapae separatae sunt ab Eucharistia et celebrabantur vespere, Eucharistia autem mane et fidelibus semper jejunis. Cito piae epulae solis pauperibus profuerunt et mox in desuetudinem abierunt. Pagani acriter accusabant christianos propter illos conventus nocturnos. Nec defuerunt quidam abusus. Sanctus Ambrosius prohibebat agapas in ecclesia Mediolanensi, dum e contra videntur fuisse in usu eodem tempore in Africa (3). Prohibentur etiam a concilio Laodicensi, (c. 330) (4).

---

§ 2. Paenitentia. Extrema unctio. Ordo. Matrimonium.

63. PAENITENTIA (5). Non potest negari Ecclesiam accepisse a Fundatore suo potestatem dimittendi peccata omnia, etiam gravissima, et Apostolos usos esse hac potestate. Paulus enim condonavit peccatum incestuosi (6).

---

(1) I.X.TH.Y.S. (*piscis*), id est, *Iesous Xristos THeou Ytos Sôter*, Jesus Christus Dei Filius Salvator.

(2) Cf. *I Cor.*, 11, 20-34.

(3) Lege ea quae narrat Augustinus, *Conf.*, 6, 2, de matre sua Monica.

(4) Can. 28.

(5) D'Alès, *L'Edit de Calliste*, Paris, 1914. Auctor erudite exponit totam disciplinam paenitentialem Ecclesiae in tribus prioribus saeculis.

(6) *II Cor.*, 2, 7-11.

Disciplina tamen severior ab initio viguit. Vix admittebant in primitiva Ecclesia aliquem post baptismum receptum posse peccare, atque ideo sacramentum paenitentiae non erat necessarium. Confessio peccatorum de qua agitur in *Didachè* videtur esse confessio generalis (1). Quinimmo quidam rigoristae crediderunt nullum esse locum paenitentiae pro iis qui peccarent graviter post baptismum. Contra illos *Pastor Hermae* statuit disciplinam Ecclesiae: reconciliatio dari potest, sed semel tantum et post diuturnam paenitentiam publicam (2). Haec fuit disciplina secundi saeculi quam etiam attestatur Tertullianus nondum montanista initio saeculi tertii (3). Notandum est autem hanc rigidam disciplinam esse de solis maximis peccatis, nempe de idololatria, et adulterio et homicidio, id est, de peccatis de se externis et publicis, quae realiter aut aequivalenter significabant separationem a communitate christiana. Iis qui commiserant illa peccata et denuo volebant reconciliari Ecclesia veniam non denegabat. Post paenitentiam primam catechumenatus et absolutionem baptismi, manebat *paenitentia secunda* laboriosior *exomologeseos*. Qui post illas duas probationes relapsus esset, non potuisset amplius admitti ad communionem et nonnisi ad mortem reconciliari potuisset. Disciplina rigida equidem, sed non est exinde concludendum Ecclesiam non habuisse potestatem veniam dandi aut illam noluisse exercere.

64. PAENITENTIA PUBLICA. Paenitentia igitur publica videtur fuisse primo imposita iis qui post baptismum inciderant in tria gravissima peccata apostasiae, adulterii et homicidii. Paenitentibus praescribebantur orationes, jejunia, alia exercitia et separabantur a fidelibus in ecclesia et non communicabant. Diuturna erat, quandoque ad finem usque vitae duratura. Expleta paenitentia reconciliabantur impositione manuum episcopi aut serius presbyteri ab ipso delegati, vel etiam diaconi. A saeculo tertio disciplina mitigata est. Paenitentia publica, brevior tamen, imposita fuit omnibus et facta est potius exercitium asceticum perfectionis. Crevit numerus paenitentium praesertim in Oriente, et distincti

(1) *Did.*, 14, 1.
(2) *Herm. Past.*, *Mand.* 4, 3, 6.
(3) Tert., *De paenitentia*, 7 et 9.

sunt varii ordines. Sacerdos paenitentiarius eos moderabatur.

Paenitentia remittebatur totaliter vel partialiter ab episcopo propter *libellos pacis* datos a martyribus aut confessoribus. Exinde originem habuerunt indulgentiae.

65. CONFESSIO. Confessio auricularis in usu fuit ab initio Ecclesiae. Quomodo enim potuissent remitti peccata potestate Ecclesiae concessa nisi manifestarentur ministris? Minister ordinarius paenitentiae erat episcopus, serius autem sacerdos ab ipso delegatus. Peccata *capitalia, maxima, ad mortem,* erant materia confessionis, sed etiam minora accusabantur.

66. CONTROVERSIA PAENITENTIALIS III SAECULI. Montanistae doctrinam rigidiorem tenebant: tria supra dicta peccata irremissibilia dicebant. Quibus cum adhaesisset Tertullianus, ab anno c. 202, incepit irridere episcopum episcoporum, qui "moechis paenitentia functis veniam dabat" (1). Callistus autem papa benigniorem disciplinam tuebatur eamque sua auctoritate sancivit. Haec etiam fuit ratio inter alias propter quam Hippolytus schisma fecit Romae (2).

Reconciliatio cum lapsis in persecutione Decii fuit occasio novae controversiae. Cyprianus statuerat eos reconciliandos esse post diuturnam paenitentiam et in periculo mortis, et non simpliciter oblatis *libellis pacis,* sed adveniente nova persecutione *statim* reconciliaverat. Quod videbatur Novato in Africa intolerabilis severitas, schismatico Novatiano et sectatoribus reprobanda laxitas judicatum est. Papa vero Cornelius, semper assensus est Cypriano et, adunata synodo, damnavit Novatianos.

Scimus etiam pro homicidis mitiorem evasisse disciplinam paenitentialem.

67. EXTREMA UNCTIO. Vix sermo est in tribus primis saeculis de unctione graviter aegrotantium. Certe non ungendi erant martyres. Sine dubio assidue visitabantur aegrotantes. Mulieres autem visitabantur a diaconissis, et

(1) Tert., *De Pud.*, 1.
(2) Cf. *Philos.*, 9, 12.

Tertullianus reprehendit haereticos eo quod permitterent mulieribus ungere infirmos (1). Nonne quia hoc solum presbyteris licebat? (2).

68. ORDO. Silent documenta antiqua de ritibus ordinationis. Mentio fit de ordinatione episcoporum et presbyterorum et diaconorum tantum. Ordinationes erant solemnes et fiebant plebe praesente, sed ritus erat valde simplex. Medio saeculo tertio episcopus consecrabatur a tribus coepiscopis, impositione manuum (3). "Ad sacerdotii sublime fastigium cunctis religionis gradibus" ascendebant (4). Nullus alius, praeter impositionem manuum, videtur fuisse ritus pro presbyteris et diaconis (5).

69. MATRIMONIUM. Matrimonii vinculum habebatur ut prorsus indissolubile, etiam in casu adulterii alterutrius conjugis. Immovero secundae nuptiae, quae permittuntur a *Pastore Hermae* (6), aegre tamen ferebantur (7). Conjugium fieri debebat de sententia episcopi (8), et obsignabatur benedictione Ecclesiae (9). Stabant coram altari, et jungebant manus. Corona imponebatur capiti uxoris (10). Matrimonium cum infideli reprobabatur.

---

§ 3. Dies festi. Controversia paschalis. Cultus sanctorum et reliquiarum (11)

70. DOMINICA. STATIONES. DIES FESTI. A tempore Apostolorum, fideles congregabantur *ad frangendum*

(1) Tert., *Praesc.*, 41; Cf. Iren., *Adv. Haer.*, 1, 21, 5.
(2) Cf. articulum *Extrême Onction* in *Dict. Théol.*
(3) *Epist. Corn. ad Fabium*, apud Eus., *Hist. Eccl.*, 6, 43.
(4) Cypr., *Epist.*, 55, 8.
(5) Cf. van Rossum, *De essentia sacramenti ordinis*, Friburgi, 1914.
(6) *Mand.*, 4, 4, 2.
(7) Vocantur ab Athenagora, *Legat. pro Christ.*, 33, "decorum adulterium".
(8) Ignat., *Ad Polyc.*, 5, 2.
(9) Tert., *Ad uxor.*, 2, 9.
(10) Tert., *De cor.*, 13.
(11) Cf. Duchesne, *Origines du culte chrétien*, 3 éd., Paris, 1903. — Marucchi, *Eléments d'archéologie chrétienne*, 3 vol., Paris, 1900. — Leclercq., *Manuel d'archéologie chrétienne*, Paris, 1907.

panem semel in hebdomada *una sabbati* (1), id est prima die post sabbatum, die Dominica. Audiebant missam et omnes communicabant, nisi paenitentes essent. "Die dominica convenientes frangite panem et gratias agite, postquam delicta vestra confessi estis" (2).

Congregabantur etiam fideles quandoque durante hebdomada, semel aut bis, aut certe statutis diebus, ut pia exercitia facerent, et sacras vigilias agerent. Vocabantur illi conventus *stationes*. Hoc autem videtur dictum per comparationem ad stationem militum (3).

Agebant quoque dies festos, et primo quidem Pascha, in quo recolebant memoriam passionis, *pascha crucifixionis*, et resurrectionis, *pascha resurrectionis*. Postea celebraverunt Pentecosten, deinde Epiphaniam saltem in Oriente, Nativitatem et Ascensionem. Circa medium saeculum tertium, formari coepit kalendarium sanctorum, scilicet dierum natalium, seu anniversariorum mortis martyrum. In kalendario romano, praeter sanctum Petrum et sanctum Paulum, non inveniuntur nisi sancti tertii saeculi. Nullus erat festus dies in honorem Beatae Virginis tribus prioribus saeculis.

71. CONTROVERSIA PASCHALIS. Festum Paschatis, quod inceperunt celebrare primi fideles Judaei, Jerosolymis, determinatum est juxta kalendarium judaicum, quod erat lunare. E contra cyclus Nativitatis et anniversaria sanctorum, quae serius instituta sunt, determinata sunt juxta kalendarium julianum seu solare. Cum autem luna et sol pari gressu non revolvantur, festa cycli paschalis sunt *mobilia*, mutant enim locum in kalendario juliano singulis annis. Caetera vero festa semper eadem recurrunt die kalendarii juliani (4).

---

(1) *Ac.*, 20, 7. Cf. *Jo.*, 20, 1, 19, 26; *I Cor.*, 16, 2.

(2) *Did.*, 14, 1. Lege apud Just., *I Apol.*, 65, 67, descriptionem conventus fidelium diebus dominicis.

(3) Tert., *De Corona*, 11; vide etiam *Ad uxorem*, 2, 4.

(4) Unde multa incommoda. Ideoque nunc cogitant de removenda mobilitate festorum cycli paschalis, assignando Paschati diem fixam in calendario juliano.

De die assignanda Paschati orta est saeculo secundo celeberrima controversia (1). In Asia Minori celebrabant festum die 14a primi mensis (lunaris) anni judaici, id est, Nisan, cum ipsis Judaeis, dum alibi expectabant diem dominicam sequentem. Papa Victor (189-199) in vanum conatus est ipsis imponere usum romanum et ideo vocati sunt Quartodecimani. Disputatio deinde facta est inter Antiochenos et Alexandrinos de determinando equinoctio et de primo mense seu de prima luna. Antiocheni sequebantur simpliciter Judaeos, Alexandrini vero, in rebus astronimicis magis periti, primam lunam independenter a Judaeis determinabant. Computus autem Alexandrinus auctoritate Synodi Nicaenae sancitus est, et exinde episcopi Alexandrini privilegium habuerunt determinandi singulis annis diem Paschatis, quem renuntiabant in litteris directis ad Ecclesiam romanam. Differentiae posterius ortae sunt inter computum romanum et computum alexandrinum, quia, juxta traditionem romanam, Pascha nunquam celebrabatur post 21am aprilis, Alexandrini autem descendebant usque ad 25am aprilis. Sanctus Leo, pro bono pacis, debuit cedere Alexandrinis (455). Usus romanus perseveravit in variis partibus Occidentis usque ad saeculum IX, quo unitas perfecta facta est (2).

72. CULTUS SANCTORUM ET RELIQUIARUM. Incepit cultus sanctorum a cultu martyrum. Cultus martyrum est antiquissimus: "(Christum) utpote Filium Dei adoramus; martyres vero tanquam Domini imitatores et discipulos merito diligimus propter eximiam ipsorum erga regem ac magistrum suum benevolentiam" (3). Primi christiani magni faciebant martyrium et certe non poterant non exhibere honorem gloriosis athletis qui Christum confessi erant in tormentis. Credebant enim fidelem, immo simplicem catechumenum, regenerari martyrio et certo pervenire ad salutem. Propterea corpus martyris, quando poterant, maximo honore sepeliebant. Tumulum ejus ornabant, ut videre est in catacumbis romanis, et reverenter visitabant et, recur-

(1) Cf. Eus., *Hist. Eccl.*, 5.
(2) Cf. Jeannotte, *La réforme du calendrier, Revue Canadienne*, mai et juin 1913.
(3) *Mart.*, *Polyc.*, (c. 156), 17, 3.

rente die anniversaria passionis, sacra mysteria ad eum peragebant. Invocabant eos, ut constat ex inscriptionibus catacumbarum. Ipsa sepulchra Apostolorum Petri et Pauli fuerunt ab initio honorata et visitata.

Honor exhibitus corpori martyris erat jam cultus sacrae reliquiae. Constat primos fideles ut gemmas pretiosissimas collegisse quidquid pertinuisset ad martyres quodque potuisset eos in memoriam revocare (1).

---

§ 4. Oratoria. Coemeteria. Imagines.

FONTES. Monumenta praesertim romana. Opera Apologetarum et praesertim Tertulliani. Cf. Articulos *Basilique, Catacombe, Cimetière*, in *Dictionnaire d'Archéologie.*

73. ORATORIA. Primi fideles orabant in templo Jerosolymitano, *panem* autem *frangebant* in domibus (2). Paulus praedicabat in synagogis, vel in aperto coelo vel in domo privata. In toto primo saeculo, christiani congregabantur, ut videtur, in ecclesiis domesticis. Romae, crescente numero fidelium, aedes basilicae divitum adhibebantur et in quibusdam casibus huic speciali destinationi fuerunt reservatae. A saeculo tertio in multis civitatibus christiani speciales habuerunt domos orationis. Haec autem oratoria formam basilicarum domesticarum imitabantur, et non videntur fuisse ab initio splendide ornata. In abside collocaverunt altare, sedes episcopi et cleri. Viri separabantur a mulieribus, paenitentes et catechumeni a caeteris. Tempore Diocletiani, ante ultimam persecutionem, in singulis urbibus erant aedes sacrae magnificae, teste Eusebio (3). In coemeteriis subterraneis, seu catacumbis, erant oratoria angusta in quibus celebrabantur memoriae martyrum, vel etiam tempore persecutionis, potuerunt adunari fideles.

(1) "Quorum reliquias clam Christiani sublatas servaverunt ad gloriam Christi et laudem martyrum ejus". *Mart. Carpi, Papyli. Agathonices*, in fin. Temp. M. Aur. (161-180) vel Decii (249-251). — "Quis in carcerem ad osculanda vincula martyris reptare patietur?" Tert., *Ad uxor.*, 2, 4.

(2) *Ac.*, 2, 46.

(3) *Hist. Eccl.*, 8, 1.

74. COEMETERIA. Coemeterium (ΚΟΙΜΗΤΗΡΙΟΝ, *dormitorium*) est vox exclusive christiana ad designandum locum ubi sepelitur aliquis mortuus. Mox tamen significavit necropolim. Christiani nolebant sepeliri cum paganis et statim ab initio habuerunt coemeteria distincta. Primo fuerunt coemeteria in praedio ditioris christiani, postea autem, permittente aut tolerante lege, a communitate possidebantur. Distinguendum est inter *coemeteria* in coelo aperto, quae quandoque vocantur *areae*, et coemeteria subterranea seu *catacumbas*.

Coemeteria erant extra urbem, ruri. Muro saepiebantur, et tumuli indicabantur cippo sine inscriptione aut cum solo nomine. In medio nonnunquam erat cella, vel etiam basilica in qua ritibus funerariis perfungebantur et in qua congregari poterant fideles. In Africa coemeteria, Romae vero, propter violationem tumulorum tempore persecutionis, catacumbas praeferebant. Sanctus Petrus et sanctus Paulus fuerunt sepulti in area aperta.

Coemeteria subterranea, quae nunc vocantur catacumbae, inveniuntur ubique in Oriente et in Occidente, sed celebriora sunt circa Urbem Romam. Usus sepeliendi in sepulchris subterraneis venit a desiderio imitandi sepulturam Domini atque etiam a timore profanationum persecutorum. Catacumbae constant ambulacris cum loculis ex utraque parte superpositis in quibus deponebantur corpora linteo obvoluta. Claudebantur tabula marmorea aut lateribus. Hic atque illic inveniuntur cellulae quadrangulares aut rotundae cum arcosoliis. Ibi reponebantur corpora martyrum et poterant celebrari sacra mysteria assistentibus viginti aut triginta personis. Numerosissimae inscriptiones inveniuntur fere in singulis loculis: nomen, aetas, imago palmae aut columbae, invocatio: *In pace*, etc. In his inscriptionibus multae sunt allusiones ad dogmata nostra. Inutile est addere non omnia corpora esse corpora martyrum aut sanctorum.

75. IMAGINES (1). Illiniebantur parietes cellarum et arcosoliorum calce aut gypso, et ornabantur saepissime imaginibus depictis. Effigies sunt plerumque allegoricae et

---

(1) Cf. Wilpert, *Le pitture delle catacumbe*, Roma, 1903.— Art. *Art dans les catacombes* in *Dict. d'Arch.*

symbolicae. Repraesentantur facta Veteris Testamenti, ex. g., Moyses percutiens petram (68es), aut vitae Christi, ex. g., multiplicatio panum (30es). Formae pure symbolicae sunt bonus pastor et *orans*. Antiquissima imago depicta B. Virginis est saeculi saecundi ineuntis. Nescio utrum extiterint imagines depictae in oratoriis ante pacem Ecclesiae. Cognoscitur statua sancti Hippolyti martyris saeculo tertio caelata. Ars primitiva non caret venustate et elegantia, sed adhuc longe est a perfectione.

---

§ 5. Vita christiana.

Vitam christianorum cognoscimus praesertim ex operibus Apologetarum, qui illam defendere debuerunt contra accusationes paganorum.

76. VITA PRIVATA. "Christiani neque regione neque sermone neque vitae institutis distincti a caeteris erant hominibus" (1). Sed perfectio morum eorum opponebatur corruptioni paganorum et optima erat apologia christianismi. Saepe describitur ab apologetis. Sic Aristides: "Habent autem mandata Domini Jesu Christi cordibus suis insculpta eaque custodiunt... Non adulterii, non fornicationis crimine sese devincunt, non falsum testimonium dicunt, aliena non concupiscunt, patri et matri honorem tribuunt, proximos amant, justum judicium ferunt, quae sibi ipsis fieri nolunt aliis non faciunt, eos a quibus laeduntur obsecrant ac sibi eorum amicitiam conciliant; inimicos beneficiis afficere student lenes et faciles se praebent, ab omni iniquo concubitu atque ab omni impuritate abstinent, viduam non contemnunt, pupillo moerorem non inferunt, qui habet non habenti prolixe subministrat; peregrinum si viderint tecto admittunt ejusque non secus ac veri et germani fratris adventu delectantur; non enim carnis sed animi ratione fratres se vocant; vitam suam Christi causa profundere parati sunt, nam ipsius praecepta firme observant, sancte videlicet ac juste, quemadmodum Dominus Deus ipsis imperavit viventes" (2). "Si

(1) *Epist. ad Diogn.*, 5.
(2) Arist., *Apol.*, 15.

vobiscum christiani comparemur, quamvis in nonnullis disciplina nostra minor est, multo tamen vobis meliores deprehendemur" (1). Itaque poterant scribere: "De vestro numero carcer exaestuat, christianus ibi aut nullus nisi aut reus suae religionis aut profugus" (2).

Eminebant inter alias virtutes eorum pietas et charitas. Primi christiani magni faciebant orationem et frequenter orabant. Saepius signabant se signo crucis. "Ad omnem progressum atque promotum, ait Tertullianus, ad omnem aditum et exitum, ad calciatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad sedilia, quaecumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus" (3). Orabant autem plerumque stantes, brachiis extensis. Formula orationis erat oratio dominica. Eorum charitas fraterna excitabat admirationem paganorum. "Vide, inquiunt (pagani), refert Tertullianus, ut invicem se diligunt" (4). Divites inopiae indigentium subveniebant et tempore persecutionis mutuo sese adjuvabant confessoresque visitabant. Eorum charitas extendebatur etiam ad extraneos (5). Ad martyrium alacriter ibant, quinimmo illud appetebant.

77. VITA DOMESTICA. Laudes matrimonii christiani legimus apud Tertullianum: "Ambo fratres, ambo conservi, nulla spiritus carnisve discretio... Simul orant, simul volutantur, et simul jejunia transigunt... In Ecclesia Dei pariter utrique, pariter in convivio Dei, pariter in angustiis, in persecutionibus, in refrigeriis" (6). Uxor non subdebatur dominationi viri, sed ut socia juribus aequalis habebatur et diligebatur. Fides conjugalis sancte servabatur (7). — Prolem cum reverentia et amore suscipiebant, et religiose educabant. Infantes exponere crimen duce-

(1) Minuc. Fel., *Oct.*, 35.
(2) Minuc. Fel., *Oct.*, 35.
(3) Tert., *De Cor.*, 3, 11. Cf. supra, n. 70, p. 61-62.
(4) Tert., *Apol.*, 39.
(5) Pont. Diac., *Vita Cypr.*, 9.
(6) Tert., *Ad ux.*, 2, 9.
(7) "Mensam communem habent, non lectum". *Epist. ad Diogn.*, 5, 7.

bant (1). — Servi non distinguebantur a liberis in Ecclesia: omnes erant *fratres*. A dominis christianis servi mitius et semper tanquam homines tractabantur et nonnunquam libertate donabantur.

78. VITA PUBLICA. Verum est quod christiani vitabant consortium cum paganis et non sese miscebant vitae publicae. Omnia enim conjungebantur cum cultu idolorum a quo abhorrebant. Attamen optimi civium erant. "Itaque non sine foro, ait Tertullianus, non sine macello, non sine balneis, tabernis, officinis, stabulis, nundinis vestris caeterisque commerciis cohabitamus in hoc saeculo. Navigamus et nos vobiscum et militamus et rusticamus, et mercatus proinde miscemus, artes, opera nostra publicamus operi vestro" (2). Abominabantur spectacula. "Nihil est nobis dictu, ait idem Tertullianus, visi, auditu, cum insania circi, cum impudicitate theatri, cum atrocitate arenae, cum vanitate xysti" (3). Militia generatim non considerabatur ut illicita, sed pronuntiabatur a Tertulliano minus conveniens christianis: "Praelio operabitur filius pacis cui nec litigare conveniet"? (4). Multi conversi militiam dimittebant, ex altera parte multi milites honorantur ut martyres. Difficile erat pro christianis muneribus publicis fungi propter cultum idolorum semper annexum, sed saepe munera inferiora obibant et discrete tempore persecutionis fratres protegere poterant.

Attamen non omnia fuisse semper perfecta et in fidelibus et in pastoribus testatur Cyprianus: "Non in sacerdotibus religio devota, non in ministeriis fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina" (5).

79. VITA RELIGIOSA. Etsi vita monastica, tribus primis saeculis nondum exstiterit, multi perfectionem speciali modo prosequebantur, sicut *Ascetae*, inter quos fuit

---

(1) Lact., *Inst.*, 6, 20. *Epist. ad Diogn.*, 5, 6: "liberos procreant, sed non abiciunt fetus".
(2) Tert., *Apol.*, 42.
(3) Tert., *Apol.*, 38.
(4) Tert., *De coron.*, 11.
(5) Cypr., *De laps.*, 6.

Origenes. Medio saeculo tertio incepit in Aegypto vita eremitica, cujus pater haberi potest sanctus Antonius (251-356). Colebant etiam perfectionem *Virgines* et *Viduae* Deo consecratae. Quaedam vivebant cum asceta aut clerico, et vocabantur *Virgines subintroductae*. Hoc autem fuit postea vetitum propter criminis periculum aut suspicionem (1).

(1) Cf. *Conc. Antioch.*, apud Eus., *Hist. Eccl.*, 7, 30.

CAPUT QUINTUM

DOCTRINA ECCLESIASTICA.

§ 1. Conspectus syntheticus originis et evolutionis dogmatis.

FONTES. Synoptici. Epistolae Pauli. Opera Joannis. Opera Patrum Apostolicorum et Apologistarum. — Cf. articulum *Dogme* in *Dict. d'Apolog.*, III part., *Développement du dogme*. — Tixeront, *Histoire des dogmes* I. *La théologie anténicéenne*, 3 éd., Paris, 1905, pp. 453-460.

80. EVOLUTIO DOGMATIS. Doctrina christiana pari progressu cum ipsa Ecclesia crevit. Jesus enim plenitudinem quidem veritatum ad salutem necessariarum Apostolis reliquit, sed sub forma simplici et concreta, sub forma viva, non autem sub forma symboli seu catalogi dogmatum, aut systematis theologici. Jamvero hanc plenitudinem, quae tandem aliquando in ipsis ejus verbis: *Ego sum via et veritas et vita* (1), tanquam in summa contrahitur, nonnisi gradatim scrutari et exponere potuerunt fideles.

81. MODICUM FERMENTUM. Quando Jesus, missione adimpleta, reversus est ad Patrem, Apostoli haec sciebant: Nihil in oeconomia judaica: doctrinae, praecepta moralia, cultus, etc., erat repudiatum, sed Jesus ea omnia venerat *adimplere* (2); insuper Jesus multa quidem ipsis manifestaverat, sed plerumque in familiaribus colloquiis, in parabolis et comparationibus, quando vix attentionem praebebant et fere nihil intelligebant; majorem partem ejus verborum confuse tantum, paucissima vero verba distincte in memoria retinebant; ipsi autem Apostoli erant missionarii Christi et debebant *praedicare evangelium omni creaturae* (3). Sed Apostoli vixerant cum Jesu et testes fuerant ejus vitae et mortis et resurrectionis, pro salute nostra, et ad

(1) *Jo.*, 14, 6.
(2) *Mt.*, 5, 17.
(3) *Mc.*, 16, 15.

munus adimplendum Jesus promiserat assistentiam Spiritus Sancti: *Ille vos docebit omnia et suggeret vobis quaecumque dixero vobis* (1). Hoc est *modicum fermentum* unde fermentatum est totum.

82. ANTE PAULUM (30-45). Quod proponebatur credendum primis omnimo fidelibus ab Apostolis videtur aliquid valde modicum etiamsi comparetur cum brevissimo catechismo. Debebant credere in *Jesum Nazarenum virum approbatum a Deo virtutibus, signis, prodigiis, per manus iniquorum interemptum... Filium Dei... Quem Deus suscitavit... cujus omnes* Apostoli *testes* erant. Ad salutem consequendam per remissionem peccatorum debebant *baptizari unusquisque in nomine Jesu... nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* (2). Divinitas Christi non expressis verbis docetur, sed evidenter in illa fide in Christo, necessario mediatore salutis, propheta majore quam David et Moyses, modo speciali a Deo dilecto, Messia annuntiato ab omnibus prophetis, continetur fides vera, etsi forsan nondum sui conscia, in ejus divinitatem, in ejus incarnationem et redemptionem. Quo magis cogitabant de verbis et gestis ejus, de passione et morte et resurrectione et conferebant cum Scripturis, eo magis agnoscebant eum esse vere Deum Emmanuel. Ideoque Jesum *Dominum* vocant. In praenecessitate aggregationis ad Apostolos, testes Christi, et praedicatores verborum ejus, continebatur implicite tota Ecclesiologia.

83. PRAEDICATIO PAULI (45-67). Jesus est centrum praedicationis Pauli, Jesus Christus Dominus noster, Filius Dei (3). *In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (4). Sanctus Paulus profundius penetrat ideam salutis per Christum, quae inveniebatur in praedicatione primitiva. Christus, Filius Dei, et ideo Deus-Homo, factus est Salvator noster morte sua et resurrectione. *Traditus est propter delicta nostra et resurrexit propter justifica-*

(1) *Jo.*, 14, 26.
(2) Ex primis praedicationibus Petri, *Ac.*, 2; 3; 4, et 8, 37
(3) *I Cor.*, 1, 9.
(4) *Col.*, 2, 9.

tionem nostram (1). Quod tripliciter exprimitur: Christus redemit nos, passus est pro nobis, satisfecit pro nobis (2). Consociamur autem morti ejus, *compatimur* vel *commorimur*, id est, applicantur nobis merita passionis et mortis, justificamur, per fidem et sacramenta. Tunc enim efficimur vere membra Christi et corpus ejus sumus, id est, Ecclesia (3).

84. JOANNES (+ c. 100). Quando sanctus Joannes scripsit Apocalypsim et Evangelium, docebatur divinitas Christi, clare et sine ambiguitate, non solum implicite sub involucro concretarum formularum et in cultu ipsi reddito, sed explicite et in abstracto. Ipse Joannes, in prologo sui Evangelii et in epistolis, voce feliciter mutuata a philosophia judaeo-hellenica, audacter incipit exponere relationes Dei-Hominis cum Summo Deo: Filius Ejus est, ipsi coaeternus et coaequalis. Verbum Patris est. Doctrina Spiritus Sancti in pleniori lumine traditur (4).

85. PATRES APOSTOLICI (100-175). Affirmant unitatem Dei, creatoris coeli et terrae, sed simul praedicant Christum verum Deum et verum hominem, redemptorem omnium hominum. Sedulo distinguunt tres terminos Trinitatis, sed nullomodo conantur explicare quomodo Deus sit unus et trinus. Nullum testimonium explicitum divinitatis Spiritus Sancti invenitur, nulla expositio unionis hypostaticae in Christo. Fides traditur modo simplici, terminis concretis evangelii.

86. APOLOGISTAE (150-200). In defensione christianismi contra paganos, Apologistae pauca tradunt ad explicanda dogmata nostra, et ea quae attentaverunt ope philosophiae platonicae non fuerunt semper feliciter dicta. Asserunt Verbum procedere a Patre per generationem, sed aequivoce loquuntur de aeternitate illius generationis. Exaggerant transcendentiam divinitatis et Verbum, utpote creatorem

(1) *Rom.*, 4, 25.
(2) *I Cor.*, 6, 20. — *Rom.*, 8, 32. — *Rom.*, 3, 25.
(3.) Cf. Prat, *Théologie de saint Paul*, t. 2, Paris, 1912, pp. 54-55 et passim.
(4) Cf. Tixeront, *op. cit.*, p. 80.

mundi aliquo modo, ut videtur, in explicationibus suis philosophicis, subordinant Patri. Quoad caetera, eamdem fidem traditam simpliciter exponunt.

87. CONTROVERSISTAE (175-235). Mox autem defensores christianismi non solum contra paganos sed etiam contra nascentes haereses debuerunt vindicare jura veritatis. Inde non modicum progressum accepit dogma. Plenius contra varias sectas Gnosticorum exponunt generationem aeternam Verbi, et ejus aequalitatem cum Patre. Asserunt in Deo esse *tres*, sed non expresse vocant Spiritum Sanctum Deum. Affirmant unionem fieri in Christo, sed nondum explicant quomodo fiat.

88. PRIMI DOCTORES (200-325). In decursu saeculi tertii, tum in Oriente, tum praesertim in Occidente, incipiunt doctores plenius exponere dogma trinitatis. Deus est unus substantia, trinus autem personis. Quidam tamen adhuc aequivoce loquuntur, ita ut non satis caveant modalismum aut subordinatianismum. Recte etiam exponunt unionem Verbi cum natura humana fieri in persona. Incipiunt asserere omnes homines esse labe quadam infectos, quin ulterius explicent. De Maria vix aliquid aliud dicitur praeter illud quod sit mater Christi.

89. INDOLES PROGRESSUS DOGMATICI. Doctrina Christi statim ab initio apparet tanquam depositum ab Apostolis traditum et a discipulis fideliter custodiendum (1). Doctrina igitur apostolica facta est regula fidei ad quam comparabantur omnes doctrinae et explicationes doctrinales (2). Propterea progressus factus est semper in eadem linea et in eodem sensu, non per transformationem quamdam, aut per incorporationem veritatum extranearum, sed per explicationem uberiorem et in dies ampliorem, ejusdem veritatis elucidationem. In hac periodo, saltem ante Tertullianum et Origenem, progressus non factus est per expositionem synthe-

(1) *I Tim.*, 6, 20. "Custodi quae accepisti, neque addens neque demens". *Didache*, 4, 13.

(2) "Relinquentes vanitatem multorum et falsas doctrinas, ad traditam nobis ab initio doctrinam revertamur". *Polyc.*, *Ep., ad. Phil.*, 7, 2.

ticam, sed per eliminationem explicationum veritati praedicationis apostolicae repugnantium.

Praecipuae causae aut occasiones hujus progressus sunt necessitas explicandi et respondendi quaestionibus in praedicatione ad doctos et indoctos, necessitas refutandi objectiones haereticorum, ipsa vita christiana. Quae omnia certe non fiunt sine directione Spiritus Sancti, juxta promissionem Christi: *Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia* (1).

---

§ 2. Haereses.

FONTES. Irenaeus, *Adversus Haereses*. Hippolytus, *Philosophumena*. Epiphanius, *Panarium*. Opera polemica Patrum.

90. ORIGO HAERESEON. Inde a primis temporibus, sive propter obscuritatem et elevationem doctrinae Christianae in formulis generalibus tantum traditae, sive propter praejudicia religiosa aut philosophica, sive propter superbiam intellectus et difficultatem credendi, aut proclivitatem Orientalium ad subtiles disputationes, innumerae fere haereses, seu opiniones erroneae circa credenda, ortae sunt in Ecclesia.

91. JUDAIZANTES ET SECTAE JUDAICAE. Multi inter Judaeos ad fidem conversos crediderunt legem mosaicam, etiam post Christum, esse necessariam ad salutem. Communiter vocantur Judaizantes (2). Hunc errorem aliis permixtum professae sunt multae sectae. — *Nazaraei*. Non videntur alium errorem admisisse (3). Pauci fuerunt et inveniuntur in Palaestina tantum; unus ex eis erat forsan Hegesippus. — *Ebionitae*. Negaverunt divinitatem Jesu, quem honorabant ut virum justum et prophetam. Postea adoptaverunt observantias Esseniorum. Inter eos adhuc distinguere licet Elkasaitas, discipulos Elkasai (4).—*Cerinthiani*. Cerin-

(1) *Jo.*, 14, 26.
(2) Cf. supra, p. 21 s.
(3) Cf. Hieron., *Epist.* 112, 13.
(4) De quibus omnibus cf. Tixeront, *op. cit.*, pp. 176-186.

thus, coaevus Joannis, errori judaizantium addit fabulas gnosticorum. Jesus, juxta ipsum, est merus homo, in quo habitavit Christus, ens coeleste, a Deo distinctum, usque ad passionem (1). Docuisset etiam millenarismum.

92. GNOSTICI (2). Gnosis (*scientia*), quae est rationalismus hujus temporis, complectitur varia systemata excogitata ad explicandum christianismum ope cognitionum philosophicarum. Opinabantur Deum summum, utpote purum spiritum et infinite bonum, non posse mundum materialem creare, et esse causam mali. Ad complendum abyssum inter infinitum et finitum, imaginabantur successionem emanationum a Deo, quas vocabant aeones, *aeternitates*, ut silentium, intellectum, veritatem, etc., (Valentinus); intellectum, verbum, sapientiam, potentiam, etc., (Basilides). Aeonum universitas vocabatur pleroma. Materia est aeterna aut deserte procedit a principio malo aeterno. Infimus aeonum, demiurgus, creavit aut formavit mundum. Illa deliramenta gnostici componebant christianismo, in quo inveniebant confirmationem systematis. Christus juxta ipsos nihil aliud est nisi unus ex aeonibus, inhabitans hominem Jesum; ipse autem docuit veram gnosim, et redemptionem lucis divinae in materia incarceratae operatus est. Syrii, qui censebant corpora esse prorsus mala, docebant Christum speciem tantum corpoream, non autem verum corpus, suscepisse (Docetae). Finis omnium rerum tunc erit quando particulae lucis quae sunt in mundo separabuntur a materia et redient ad pleroma.

Floruit gnosis secundo et tertio saeculo, post saeculum quartum de illa nil auditur. Gnostici, profitentes se possidere secrete altiorem scientiam christianismi, externe tamen volebant remanere in Ecclesia, et ita multos deceperunt.

Praecipui Gnostici sunt Simon Magus, coaevus Apostolorum, quem vocabant Samaritani "magnam virtutem Dei"; Saturninus et magni gnostici Alexandrini (c. 125): Basilides, contra quem scripserunt Irenaeus et Hippolytus; Valentinus, qui viginti annos Romae docuit (136-165) et fuit refutatus a Tertulliano; Carpocrates. Marcion acriter impugnatus a Tertulliano, a divagationibus eorum aliquantisper recedit.

---

(1) Iren., *Adr. haer.*, 1, 26.
(2) Cf. articulum *Gnose* a Duchesne, in *Dict. d'Apolog.*

Manichaeismus, gnosis persica, vulgatus est a persa Manete (+ 277). Juxta Manichaeos, duo sunt principia aeterna, boni et mali, lucis et tenebrarum. Omnia explicantur ex eorum oppositione et certamine. Prohibebant vinum, carnes, laborem manuum, procreationem puerorum. Missam quamdam habebant, sacerdotes, sacramenta sua. Multos deceperunt usque ad medium aevum.

93. MONTANISMUS (1). Circa 172, Montanus quidam neophytus, incepit prophetizare. Multi agnoverunt in ejus extasibus actionem Spiritus Sancti, et effusionem Paracliti promissam a Domino (2). Sic in periculum vocabatur auctoritas hierarchiae et ipsa oeconomia Christi. In rebus moralibus rigoristae erant montanistae. Ab anno c. 212, Tertullianus factus est montanista.

94. ERRORES DE CHRISTO. Saeculo III ineunte, orti sunt errores de natura Christi, cujus filiatio divina conciliari non poterat cum unitate Dei. Alii opinati sunt Christum esse merum hominem a Deo adoptatum in Filium. Alii docuerunt Christum Filium Dei, non esse nisi Deum Patrem sub alio nomine. Unde duplex error adoptianismi et modalismi.

Adoptianismus. Theodotus, coriarius Byzantinus, c. 190, Romae docuit Jesum esse hominem, Christum autem descendisse in eum tempore baptismi. Hanc doctrinam tenuerunt alius Theodotus et Artemas (c. 235). Paulus Samosatenus, c. 260-270, docuit Christum esse merum hominem eximium in quo inhabitat LOGOS. Damnatus est in tribus synodis Antiochenis (263-268), et excommunicatus.

Modalismus vel patripassianismus vel sabellianismus, vel monarchianismus. Praxeas, contra quem scripsit Tertullianus, Romae docuit c. 190. Noetus, quem refutavit Hippolytus, Smyrnae dogmatizavit. Negaverunt ambo distinctionem realem Patris et Filii. Filius non est nisi aliud nomen Patris. Circa 220, Sabellius factus est caput sectae et nomen ipsi dedit.

(1) Labriolle, *La crise montaniste*, Paris, 1913.
(2) *Jo.*, 14, 26.

Millenaristae (1), falso innixi in *Ap.*, 20, 2-7, docebant Christum post 6000 annos (ab Adamo) denuo venturum esse regnaturumque (in Jerusalem) cum justis mille annis felicissimis. Vestigia hujus erroris inveniuntur in *Epistola Barnabae* (96-98), apud Papiam († c. 150), Justinum († 163), Irenaeum († c. 202). Acriter et feliciter fuit impugnatus ab Origene et Dionysio Alexandrino. A quarto saeculo de millenarismo nihil auditur.

---

§ 3. Ecclesiastici scriptores (2)

95. PATRES APOSTOLICI. Patres Apostolici vocantur scriptores antiquissimi qui cum apostolis conversati sunt, quorumque scripta magnam auctoritatem apud Ecclesiam semper obtinuerunt, immo quandoque fuerunt aequiparata libris canonicis et lecta in conventibus fidelium. Scripserunt omnes graece.

Didache seu *Doctrina duodecim Apostolorum* (90-100). Illud opusculum ignoti auctoris citatur a remotissima antiquitate. Textus genuinus nuper inventus est anno 1883. Inaestimabilis est thesaurus pro cognitione fidei Ecclesiae primitivae, ejus constitutionis, disciplinae, liturgiae. Videtur esse *catechesis* quaedam. Tractat de duplici via, de baptismo, jejunio, oratione, Eucharistia, et tandem, de apostolis, prophetis, doctoribus, die dominica, etc.

Clemens Romanus, Papa (91-100), scripsit *Epistolam ad Corinthios* (96-98) occasione seditionis contra auctoritatem ecclesiasticam. Commonitionibus varia puncta doctrinae miscentur. Eximium est testimonium pro constitutione hierarchica Ecclesiae et primatu romani episcopi. Altera *Epistola ad Corinthios*, quae circumfertur sub ejus nomine, non est genuina etsi antiquissima. Adscribitur plerumque medio saeculo secundo, c. 150.

(1) Gry, *Le millénarisme*, Paris, 1904.

(2) Cf. Remy Ceillier, *Histoire générale des auteurs sacrés et ecclésiastiques*, 16 vol., 2 éd., Paris, 1858-1869. — Bardenhewer, *Geschichte der altkirchlichen Litteratur*, Freiburg, 1902-1912 ; 3 vol. edita (1918). Id., *Les Pères de l'Eglise*, Godet et Verschaffel, 3 vol., Paris, 1898. Id., *Patrology*, version by Shahan, Friburg, 1908.

Barnabae *Epistola* (96-98). Falso tribuitur socio sancti Pauli. Redolet auctorem Alexandrinum. Prima pars est didactica, altera est paraenetica. Acriter impugnat judaismum et Veterem Legem quae allegorice explicanda est. In ultima parte, usurpat *Didache* exponendo *duas vias*.

Ignatius (+ 107), episcopus Antiochenus, dum iter faceret Romam in qua civitate bestiis objiciendus erat, septem litteras scripsit quae ad nos usque pervenerunt. Inter varias exhortationes ad concordiam et unitatem, plura inveniuntur praeclara testimonia de Christo et ejus divinitate, de unitate Ecclesiae et de auctoritate hierarchiae, de sacramentis, praesertim de baptismo et Eucharistia et de vita christiana. Eminet Ignatius inter Patres Apostolicos. Saeculo quinto sex epistolae spuriae additae sunt genuinis. Haec ficta nullus nunc recipit.

Palycarpi *epistola* (paulo post 107) et ejusdam *Martyrium* (156-157). Paulo post mortem Ignatii, scripsit Polycarpus, episcopus Smyrnensis, piam epistolam ad Phillippenses, qui petierant ab ipso exemplar epistolarum Ignatii. *Martyrium* scriptum est paulo post mortem ejus, et pretiosa habet de cultu sanctorum.

Hermae Pastor (140-155) scriptus est, ut videtur, Romae, a fratre Pii Papae I. Totum operis argumentum est de disciplina paenitentiaria et de doctrina morali. Multa singularia sub forma apocalyptica tradit.

Papiae, episcopi Hierapolitani (+ c. 150), quaedam fragmenta asservata sunt ab Irenaeo et Eusebio.

Illis adjungi solet *epistola ad Diognetum* (saec. II) ab ignoto auctore scripta. Auctor respondet ethnico et probat divinam originem religionis christianae.

96. SYMBOLUM APOSTOLORUM. Caret fundamento legenda juxta quam Apostoli, ante dispersionem suam, convenissent et singuli unum articulum symboli scripsissent. Videtur tamen a saeculo secundo exstitisse *regulam* seu, ut ait Tertullianus, *tesseram* fidei (1), in qua continebatur brevi formula doctrina ab Apostolis tradita. Forma praesens symboli Apostolorum invenitur prima vice in documentis saeculi IV. Sed vestigia ejusdem reperiuntur apud Justinum

(1) Tert., *Praesc.*, 13.

(+ 163), Irenaeum (+ c. 202), Tertullianum (+ c. 225), Origenem (+ 254). Nihil aliud est, ut videtur, nisi professio fidei baptismalis. In usu erat in ecclesia romana et in toto Occidente. Antiquitus deerant verba: *descendit ad inferos, sanctorum communionem, vitam aeternam* (1). Juxta plures jam initio saeculi II utebantur illa formula. Illi vero formulae Orientales nonnulla verba addiderunt propter grassantes haereses.

97. APOLOGISTAE ET CONTROVERSISTAE II SAECULI. Apologistae vocantur scriptores secundi saeculi qui defenderunt christianos a calumniis paganorum, expetentes aequam applicationem legum et simul ostendentes rationabilem esse religionem christianam. Scripta quindecim circiter apologistarum cognoscuntur. Nonnulla autem opera sunt deperdita, nempe opera Quadrati (c. 125), Aristonis (135-165), Rhodonis (ante 172), Miltiadis (c. 150), Apollinaris Hierapolitani (160-176), Melitonis Sardiani (ante 195). Eusebius tamen nobis asservavit quaedam fragmenta. Omnes scripserunt graece.

Aristides, philosophus Atheniensis (138-161), scripsit *Apologiam ad Antoninum Pium*, quae adulterata superest in fabella *Barlaam et Joasaph*.

Justinus martyr (+ 163) (2), e Palaestina oriundus, philosophus paganus, circa 132 conversus est ad fidem. *Primam* (150-155) et *Alteram* (fere eodem tempore) *Apologiam* scripsit atque misit ad Imperatores Antoninum Pium et Marcum Aurelium. Scripsit etiam *Dialogum cum Tryphone Judaeo* (post 150-155). Princeps est antiquorum apologistarum. Primus usus est philosophia ad exponendas veritates christianas. Praeclara sunt testimonia ejus de Christo et Ecclesia.

Tatianus, Justini discipulus, scripsit *Orationem ad Graecos* (c. 165) vehementem, ut rationem redderet conversionis suae a paganismo. Est etiam auctor *Harmoniae Evangeliorum, Diatessaron* communiter dictae. Gnosticismo postea deceptus, factus est "princeps Encratitarum". (3).

(1) Cf. Denzinger-Bannwart, *Enchiridion*, 1-5.

(2) Lagrange, *Saint Justin*, Paris, 1914.

(3) Hieron., *Epist.*, 48, 2. Docebant Encratitae ascesim immoderatam. Prohibebant matrimonum, usum carnis et vini, etc.

Athenagoras, philosophus Atheniensis, scripsit apologiam cui titulus *Legatio pro christianis* (c. 177), et libellum *De resurrectione mortuorum* (post 177).

Theophilus Antiochenus reliquit libros tres *Ad Autolycum* (c. 181) cui conatur demonstrare veram esse religionem christianam.

Hoc eodem tempore circiter (180), Abercius Hieropoli in Phrygia *epitaphium* scripsit et Hegesippus quinque libros *Commentariorum* composuit.

Primus defensor traditae veritatis contra haereses et praesertim contra gnosticos fuit Irenaeus, episcopus Lugdunensis (c. + 140, Smyrnae,—c. 202). Ejus opus *Adversus haereses* exhibet laborem 25 annorum. Recenset et refutat omnes haereses usque ad sua tempora. Existit tantum versio latina, supersunt tamen quaedam graece. Nuper (1907) inventum est in versione armeniaca aliud ejus opus *Demonstratio praedicationis apostolicae*. Caetera deperdita sunt.

Dionysius Corinthius (c. 170),
Serapion Antiochenus (192-209),
Victor papa (189-199),
Polycrates Ephesinus (c. 190), varias epistolas reliquerunt.

Hermias scripsit *Irrisionem gentilium pholosophorum* c. 200.

Fragmentum Muratorianum (180-200), sic dictum a nomine inventoris, Muratori, est catalogus librorum Novi Testamenti.

Saeculo II scripta sunt multa pseudo evangelia, actus apostolorum, epistolae, apocalypses, propagandae haeresis aut aedificationis causa. Praecipua sunt: *Evangelium secundum Hebraeos* (c. 100), *Cantici Salomonis* (100-120?), *Kerygma Petri* (110-130), *Apocalypsis Petri* (120-140), *Ascensio Isaiae* (120-150), *Evangelium secundum Aegyptios* (120-140), *Acta Pauli et Theclae* (130-170), *Acta Petri* (160-170), *Acta Johannis* (160-170), *Acta Andreae* (160-170), *Protoevangelium Jacobi* (150-200), *Evangelium XII Apostolorum* (c. 200).

Acta martyrum quaedam scripta sunt II saec.: *Martyrium Polycarpi* (156), *Acta SS. Carpi, Popyli et Agathonices* (161-169), *Acta SS. Justini et Soc.*, (163-167), *Epistola*

ecclesiarum Viennensis et Lugdunensis (177-178), *Acta Martyrum Scillitanorum* (177-180), *Acta S. Apollonii* (183-185).

98. SAEC. III DOCTORES GRAECI. Ab anno 180 floruit Alexandriae celebris schola catechetica et theologica, cujus doctores conati sunt exponere scientifice doctrinam christianam ope philosophiae et scientiarum humanarum. Interpretabantur Scripturas. Eorum methodus erat allegorica. Rexerunt scholam Pantaenus (c. 180,—c. 200), Clemens (c. 190-203), Origenes (203-215), Heraclas (215-231), Dionysius (231-247), Theognostus (?264-281?), Pierius et Achillas (c. 280?-...), Serapion, Petrus (...-300), Macarius?, Didymus caecus (c. 340-390), Rhodon...

Scriptores praecipui. Pantaenus non reliquit nisi magnum nomen.

Clemens, natus c. 150, conversus a paganismo, venit Alexandriam c. 180, socius Pantaeni c. 190, reliquit Alexandriam 203, mortuus 211-215. Eruditissimus vir erat. Etsi vere et profunde christianus, nimis indulget doctrinis philosophicis.

Opera (1):	*Protrepticum*, seu *exhortatio ad gentes*	c. 190
	Paedagogus, seu *instructio ad conversos*	p. 195?
	Stromata,	p. 200?
	Hypotyposes, (lucubrationes in S. Sc.)	?
	Quis dives salvetur.	

Origenes (2), natus 185-186, rector scholae Alexandrinae 203, Caesareae 215-216, redux in Alexandriam 218-219, sacerdos Caesareae c. 230, expulsus ab Alexandria ... lat scholam Caesareae 231-232, in carcerem conjectus 250, mortuus 254-255. Vir ingenio, eruditione, sanctitate maximus. Scholae Alexandrinae gloria fuit. Innumera opera theologica, exegetica, critica, homiletica scripsit, quorum major pars interiit. Critice edidit *Hexapla*, seu Vetus Testamentum sextuplum. Exegetice scripsit *Scholia*, seu breves annotationes, et *Tomos*, seu commentaria, et *Homilias*, in universam fere Scripturam, allegorice, sed mira dicendi copia et eruditione (3). Dogmatice reliquit *Peri archon*, seu *De prin-*

(1) *P. G.*, 8-9.
(2) Prat, *Origène, le théologien et l'exégète*, Paris, 1908. *P. G.*, 11-17.
(3) Cf. Hieron., *Praef. in Hom. Orig. in Ezech.*

cipiis, primam synthesim doctrinae christianae. Quaedem tamen erronea docuit de aeternitate mundi, de praeexistentia animarum, immo de inaequalitate personarum divinarum.

Opera:

Hexa. et Tetrapla,	237-250	*De oratione*,	244-249
Tomi in Joan.,	a. 228-237	*Hom. in Pentat.*,	p. 244
Peri archon,	c. 230	*Hom. in Sam.*,	p. 244
Hom. in Jud.,	c. 235	*Hom. in Jer., Ez.*,	p. 244
Exh. ad mart.,	c. 235	*Tom. in Mt., Rom.*,	p. 244
Hom. in Lc.,	c. 236	*Cont. Cels.*,	248
Hom. in Cant.,	240-244	*Hom. in Jos.*,	249-251
Hom. in Ps.,	240-245	*Epistolae.*	

Dionysius Alexandrinus, natus c. 200, magister scholae 231-232, episcopus Alexandrinus 247-248, mortuus, 264-265. Magnus ab antiquis dictus est. *Epistolas* praesertim scripsit, quarum fragmenta tantum supersunt, et inter quas notari debat ejus *Apologia* ad Dionysium Papam (261-262).

Gregorius Neocaesareensis (Thaumaturgus), natus c. 213, discipulus Origenis Caesareae 233-238, episcopus Neocaesareensis in Ponto c. 240, mortuus c. 272.

Opera:	*Panegyricus Origenis*	238
	Epistola canonica	254-258
	Metaphr. in Eccles.	
	Ad Theopomp.	c. 240?
	Symbolum	260-270
	Epistolae, Homiliae, et alia deperdita.	

Scriptores secundarii. Anatolius Laodicenus (c. 268-...) scripsit *De ratione Paschae.*

Theognostus, magister scholae Alexandrinae post Dionysium, *Hypotyposes* deperditas composuit.


Pierius, "Origenes junior" (1), mortuus post 309, "tractatus varios fecit" (2).

Petrus Alexandrinus (300-311 martyr) epistolas et alia reliquit.

---


(1) Hier., *De vir.*, 76.

(2) Hier., *De vir.*, 76.



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART

(ANSI and ISO TEST CHART No. 2)



APPLIED IMAGE Inc
1653 East Main Street
Rochester, New York 14609 USA
(716) 482 - 0300 - Phone
(716) 288 - 5989 - Fax

Hesychius, presbyter Alexandrinus, aut episcopus Aegyptius?, criticam editionem Septuaginta, atque Novi Testamenti aut saltem Evangeliorum fecit p. 300.

Firmilianus Caesareensis (Cappadocia) (c. 230-269), suo tempore celeberrimus, reliquit *Epistolam* (inter opera Cypriani, et, juxta Basilium, alia opera.

Anthimus Nicomediensis († 302) *Epistolas* scripsit.

Methodus Olympius († 311), "disertissimus vir" (1), *Convivium de Virginitate,* et alia multa scripsit.

Julius Africanus, natus c. 170 in Libya?, primo miles, in Alexandria c. 215, in Palaestina c. 230, mortuus post c. 240. *Chronographiam* (usque ad annum 221) generalem christianam primus conscripsit, a qua pendet historiographia byzantina.

Alexander Hierosolymitanus († 250) *Epistolas* quasdam scripsit.

Beryllus Bostrensis († p. 244), "scripsit varia opuscula et maxime epistolas" (2). Ab opinionibus monarchianistis opera Origenis conversus est.

Paulus Samosatenus, primo praefectus, episcopus Antiochenus c. 260, depositus 269, docuit Filium ΟΜΟΟΥΣΙΟΝ esse Patri in sensu monarchianistico, quaedam videtur scripsisse.

Pamphilus, discipulus Pierii, magister Eusebii Caesareensis, sacerdos Caesareensis, martyr 309. In carcere scripsit *Apologiam pro Origene,* partim asservatam in versione Rufini.

Lucianus, samosatenus, amicus Pauli, sacerdos Antiochenus, fundavit scholam Antiochenam, in qua interpretabantur litteraliter Scripturam. Mortuus est martyr (312). Discipuli ejus fuerunt Arius et Eusebius Nicomediensis, et ut avus arianismi haberi debet. Recensuit saltem Vetus Testamentum, et alia scripta minora, quorum fragmenta supersunt, composuit.

Adamantius quidam scripsit dialogum *De recta in Deum fide* c. 300-311.

Didascalia Apostolorum, quae multa continet de disciplina ecclesiastica, scripta videtur esse 250-300.

---

(1) Hier., *De vir.*, 89.
(2) Hier., *De vir.*, 60.

Canones ecclesiastici sanctorum Apostolorum (*Constitutio ecclesiastica apostolica*), auctoritatem quamdam juridicam obtinuerunt in antiqua ecclesia. Multa tradunt de diversis clericorum ordinibus. Scripti sunt c. 300.

Hippolytus (1), discipulus Irenaei († c. 202), juxta Photium, presbyter romanus, antipapa tempore Callisti 217 ss., mortuus martyr 235. Doctissimus vir, sed quandoque rigorismo deceptus.

Opera:	*Com. in Dan.*	200-204
	Adv. Noet.	200-210
	Adv. Caium	200-217
	Canon pasch.	c. 222
	Philosophumena	p. 222
	Comm. in totam fere Sc.	
	Homiliae	

99. SAEC. III DOCTORES LATINI. Ecclesia remansit graeca etiam in mundo romano usque ad saeculum quartum. In Africa tamen, Romae, in Italia, in Gallia, ecclesiae latinae paulatim fundatae sunt et usus linguae latinae factus est frequentior et doctrina christiana exposita fuit verbo et scriptis in hac lingua. Primum monumentum litteraturae christianae latinae est versio Scripturae (Novi Testamenti et Psalmorum) quae in usu erat in Africa ante Tertullianum, ideoque jam medio saeculo secundo. Mox floruerunt in eadem regione celeberrimi doctores, qui fundamenta theologiae occidentalis posuerunt.

Scriptores praecipui. Minucius Felix, causidicus romanus, juxta plures c. 185, scripsit *Octavium,* in quo sub forma dialogi refellit calumnias paganorum. Viam paravit Tertulliano qui eum imitatur in *Apologetico.*

Tertullianus (2), natus c. 180, primo advocatus, conversus 195-196, sacerdos Carthaginensis, semi-montanista 207, adversarius Ecclesiae 213, mortuus catholicus (juxta Augustinum) 222-223. Multa ei debet theologia latina, sed ejus maximum ingenium temperantia caret (3).

(1) D'Alès, *La théologie de saint Hippolyte*, Paris. 1906.
(2) D'Alès, *La théologie de Tertullien*, Paris, 1906. *P. L.*, 1-2.
(3) "Miserrimus ego semper aeger caloribus impatientiae". Tert., *De pat.*, 1.

Opera:

Ad martyres	197	*Adv. Valent.*	208-211
Ad nationes	197	*De anim.*	208-211
Apologeticum	197	*De carn. Christi.*	208-211
De test. anim.	197-200	*De res. carn.*	208-211
De spectaculis	c. 200	*Adv. Marc. V*	208-211
De presc. haer.	c. 200	*De exh. cast.*	208-211
De orat.	200-206	*De pall.*	209
De baptismo	200-206	*De corona*	211
De patientia	200-206	*Scorpiace*	211-212
De paenitentia	200-206	*De idolol.*	211-212
De cultu fem.	200-206	*Ad Scapul.*	212
Ad uxor.	200-206	*De fuga in pers.*	213
Adv. Herm.	200-206	*Adv. Prax.*	p. 213
Adv. Jud.	200-206	*De monog.*	p. 213
De virg. vel.	c. 206	*De jejun.*	p. 213
		De pudic.	217-222

Cyprianus (1), natus c. 200, primo rhetor, conversus 246, episcopus Carthaginensis 249, mortuus martyr 258 (14a sept.). Praeclara dicendi ratione, rebus, doctrina, opera scripsit, practica et paraenetica potius quam speculativa.

Opera:

Ad Donat.	246	*De opere et eleem*	253-256
Testim.	248-249	*De bono patient.*	256
De hab. virg.	249	*Sent. episcop.*	256
De lapsis	251	*De zelo et liv.*	256-257
De unit. Eccl.	251	*De exhort. mart.*	257
De domin. orat.	c. 252	*Quod idola non sint,*	?
Ad Demet.	252-253	*Epistolae* 83.	
De mortal.	252-253		

Arnobius, rhetor africanus, conversus c. 305, mortuus c. 327?, scripsit post conversionem c. 305-310 apologiam christianismi: ***Adversus nationes.***

Lactantius, Arnobii discipulus, primo rhetor in Africa, in Nicomedia c. 290, conversus an ?, praeceptor Crispi

(1) Monceaux, *Saint Cyprien*, Paris, 2 éd., 1914.

Treviris ante 317. Propter elegantiam sermonis Cicero christianus dictus est (1).

Opera:	*De opificio Dei*	304
	Divinae instit.,	305-310
	De mort. pers.	313-314
	Alia deperdita.	

Auctores secundarii. Novatianus, "clinicus", presbyter romanus jam ante c. 236, antipapa et dux rigoristarum 251, mortuus c. 257. Vir doctus et disertus (2). Plura scripsit deperdita.

Opera:	*De Trin.*	248-249
	Epist. 2	250
	De cibis juda.	p. 251

Commodianus, e paganismo conversus, primus poeta christianus est. Scripsit *Instructiones* (251-254), et *Carmen apologeticum* ante 258.

Vittorinus Pettaviensis, martyr c. 303, prima commentaria latina conscripsit, quorum minora fragmenta tantum supersunt.

Reticius Augustodunensis (ante 313-...) "commentarios in Canticum Canticorum et aliud grande volumen adversus Novatianum" composuit (3) quae sunt nunc deperdita.

Pontius, diaconus, scripsit *Vitam Cypriani* post 258.

Auctores syriaci (4). Antiquissimum omnium monumentorum litterarum christianorum Syrorum est versio veteris Testamenti, facta ex hebraico, quae dicitur *Peschitto* (med. II saec.).

Bardesanes (154-222), gnosticus, multa scripsit, etiam contra haereticos, nunc deperdita, praeter *Librum de fato*.

Praecipua *Acta Martyrum* III saeculi sunt: *Acta SS. Perpetuae et Felicitatis* (203); *Acta S. Pioni* (250); *Acta disputationis S. Achatii* (250); *Acta S. Maximi* (250); *Acta SS. Petri, Andreae, Pauli et Dionysiae* (250); *Acta S.*

(1) "Quasi quidam fluvius eloquentiae Tullianae". *Hier.*, *Ep.*, 58, 10.

(2) "Philosophiam vel eloquentiam suam superbis vocibus praedicet". Cyp., *Ep.*, 55, 24.

(3) Hier., *De vir.*, 82.

(4) Duval, *La littérature syriaque*, Paris, 1907.

Cypriani (258); *Acta SS. Mariani, Jacobi et aliorum* (259); *Acta SS. Fructuosi, Augurii et Eulogii* (259); *Martyrium S. Nicephori* (c. 260); *Acta S. Maximiliani* (295); *Acta SS. Marcelli et Cassiani* (298).

PERIODUS SECUNDA (313-692).

Ab edicto Mediolanensi ad Synodum Trullanam

CAPUT PRIMUM

ECCLESIA ET IMPERIUM ROMANUM (313-476)

FONTES. Eusebius, *Historia Ecclesiastica*, l. 10; *Vita Constantini*. Socrates. Sozomenus. Ammianus Marcellinus. Codex Theodosianus. Scriptores ecclesiastici coaevi. Cf. De Broglie, *L'Eglise et l'Empire Romain au IV siècle*, 5 éd., Paris, 1900, 6 vol. Batiffol, *La paix constantinienne*, Paris, 1914.

---

§ 1. Constantinus et successores ejus. Ecclesia pacifice oppugnat paganismum morientem (313-379).

101. OPUS EXPLENDUM. Edictum Mediolanense finem persecutionum auctoritate publica movendarum fecit, non autem certaminis et laboris Ecclesiae. Non enim omnes, inter magistratus praesertim et nobiles, statim christiani facti sunt. Praefecturae, praetoria, senatus, palatium, litterae, mores, leges, uno verbo, omnia quae Imperium constituebant, pagana manebant. Conversio tamen Principis honorem et auctoritatem Ecclesiae conciliavit, mox autem protectionem et favores attulit, multaque membra ei adduxit.

102. CONSTANTINUS MAGNUS (313-337). Constantinus, sincere conversus (1), ab initio partem christianorum tenuit, dum e contra Licinius in Oriente, ab anno 320, eos vexavit et paganis favit. Bello inde exorto, Licinius a Constantino prope Hadrianopolim devictus (324) et anno sequenti occisus est. Constantinus sedem imperii christiani Byzantii constituit, Romamque paganam Summo Pontifici reliquit. Novam civitatem, quam Constantinopolim nominavit, magnifice aedificavit dedicavitque anno 330. Haec fuit occasio majoris auctoritatis Episcopi Romani, sed etiam majoris oppositionis inter ecclesiam latinam et graecam.

---

(1) Cf. Batiffol, *La paix constantinienne*, Paris, 1914, p. 255 ss.

Constantinus devotionem erga Ecclesiam ostendit immunitatibus clericis concessis, largitionibus, ecclesiis aedificatis Romae, Constantinopoli, in Palaestina. Ecclesia jus recipiendi bona testamento legata obtinuit anno 321.

Baptismus Constantini a Sylvestro Papa Romae et sanatio ejus a lepra est fabula. Revera catechumenus factus est et baptizatus est paulo ante mortem (22a maji 337) (1).

Rei militaris et civilis aeque peritus, Constantinus merito dictus est Magnus. Sincere protexit Ecclesiam, saepius tamen inconsiderate et propter fines politicos.

103. CONSTANTINI FILII (337-361). Constantino mortuo, imperium divisum est inter tres filios Constantini. Constantinus II Gallias, Constans Africam et Italiam et Illyricum, Constantius Orientem obtinuit. Dissidio exorto inter fratres, Constantinus II devictus est Aquilejae a Constante (340), deinceps Imperatore totius Occidentis. Ipse autem Constans occisus est a Magnentio (350). Constantius vero, competitoribus omnibus devictis, factus est solus imperator ab anno 353. Debuit tamen Caesarem constituere in Galliis, primo Gallum, deinde Julianum (355), qui declaravit se Augustum (360) bellumque contra ipsum movit. Constantius mortuus est dum ei obviam ibat, et Julianus regno potitus est (361).

Constantini filii fuerunt sinceri christiani, et gravia edicta tulerunt contra paganos. Sed magna damna Ecclesiae fecerunt et paraverunt, speciatim Constantius, sese immiscendo in negotiis ecclesiasticis, immo in ipsis quaestionibus dogmaticis.

104. JULIANUS APOSTATA (361-363). Julianus, nepos Constantini Magni, christiane educatus, sed corde paganus, apostata factus est statim post adeptum imperium. Conatus est instaurare paganismum, favendo sophistis paganis, excitando verbo et exemplo zelum sacerdotum idolorum, proponendo interpretationem novam rituum, constituendo Ecclesiam quamdam paganam. Irritus sane conatus. Persecutus est christianos, quos Galilaeos vocabat, eos irridendo et

(1) Eus., *Vit. Constant.*, 4, 62.

amovendo a dignitatibus, discordias internas excitando, vetando ne litteras docerent vel scholis attenderent. In pluribus locis, ubi pagani multi et potentes, martyres passi sunt, Juliano tolerante. Julianus occisus est in expeditione contra Saporem regem Persarum (363).

Militiae peritus fuit, sed propriae imaginationis somniis et odio christianismi deceptus, nihil magni fecit.

105. JULIANI SUCCESSORES (363-379). Mortuo Juliano, Jovianus, christianus sincerus, electus est a militibus, sed paucis tantum mensibus regnavit. Valentinianus (364-375), post ipsum electus, divisit imperium cum fratre Valente (364-378), cui reliquit Orientem. Ipse autem interiit in bello Sarmatico (375), et ei successerunt ejus filii: Gratianus (375-383), et Valentinianus II, puer quadriennis (375-392). Valens autem occisus est pugnando cum Gothis Hadrianopoli (378).

Omnes illi principes christiani fuerunt, et impugnaverunt paganismum. Valentinianus etsi favebat christianis non multum detentus est in rebus religiosis. Gratianus vero induere insignia Pontificis Maximi noluit, privilegia et reditus sacerdotum paganorum subtraxit Victoriamque e Curia abstulit et restaurare vetuit. Sed Valens interveniendo in contestationibus theologicis et favendo Arianis, Ecclesiae multum nocuit.

---

§ 2. Theodosius et ejus successores. Ecclesia crescit et constituitur independenter ab imperio collabente (379-476).

106. THEODOSIUS MAGNUS (379-395). Post mortem Valentis, Gratianus praeposuit Theodosium, prudentem ducem Hispanum administrationi Orientis eumque imperii consortem mox accepit. Revera Theodosius primas partes protinus egit.

Gratianus interfectus est Lugduni (383) a Maximo quem milites in Britannia constituerant imperatorem (Treviris, 383-388). Theodosius devicit Maximum in Italia et restituit Occidentem Valentiniano II (388).

Sed Valentinianus II ipse occisus est ab Arbogasto, duce franco, qui rhetorem Eugenium imperatorem fecit (392). Theodosius vicit Eugenium Aquilejae (394), et solus, tunc ultimum, Orientis et Occidentis imperator factus est. Mortuus est paulo post (16a jan. 395).

Theodosius fuit plene et sincere christianus. Aeque prudenter bellum egit, rem publicam curavit, et Ecclesiam protexit. Catholicismum religionem status fecit: "Cunctos populos, quos clementiae nostrae regit temperamentum, in tali volumus religione versari, quam divinum Petrum Apostolum tradidisse Romanis religio usque ad nunc..." (1). Graves leges tulit contra paganos, haereticos et praesertim apostatas. In vanum Libanius apologiam scripsit (391) (2), templa destructa sunt caeremoniaeque paganae omnes vetitae (3). Victoria completa reportata erat. Constantinus paganum imperium invenerat, Theodosius christianum illud reliquit.

107. THEODOSII FILII (395-455). Mortuo Theodosio, imperium, nunquam deinceps uniendum(4), divisum est inter duos ejus filios, Arcadium et Honorium. Arcadius(395-408) recepit Orientem et Honorius (395-423) habuit Occidentem.

Ambo piissimi principes fuerunt et rationem agendi patris adversus haereticos et paganos secuti sunt multasque leges ad augenda privilegia Ecclesiae tulerunt. Ambo tamen juvenes (18 et 10 an.) et debiles. In Occidente praesertim, Honorius incurrentibus barbaris resistere non potuit et Roma direpta est ab Alarico (410). Immovero barbari summa munera gradatim adepti sunt et potentes facti sunt in ipso imperio.

Post Arcadium regnavit in Oriente Theodosius II (Junior), filius ejus (408-450). Princeps vere christianus fuit multasque leges tulit Ecclesiae faventes. Mortuus est absque haerede.

---

(1) *Cod. Theo.*, 16, 1, 2, 27a feb. 380.
(2) Lib., *Pro templis non exscindentis.*
(3) *Cod. Theod.*, 16, 10, 12, 8a nov. 392.
(4) In mente tamen omnium, unum manebat imperium: "commune imperium, divisis tantum sedibus". Oros., *Hist.*, 7, 36.

In Occidente, mortuo Honorio, comes Joannes declaravit se Augustum, sed devictus est ab exercitu Theodosii, qui restituit imperium Valentiniano III, filio Gallae Placidiae Theodosii Magni filiae. Jamvero sub nomine filii sexennis Placidia sceptrum tenuit usque ad mortem (425-450). Debilis autem Valentinianus brevi post occisus est Romae (455).

Miserrimus tunc fuit status imperii Occidentis, invadentibus undique barbaris, praesertim in remotis provinciis Galliae et Hispaniae. Quo autem debilior princeps, eo major facta est Ecclesiae potestas, etiam temporalis (1).

108. IMPERII ULTIMI ANNI (455-476). Post Valentinianum III numerantur adhuc novem imperatores, imperatorum simulacra potius dicendi, plerique a suevo duce Ricimer creati, et vix quamdam in Italia auctoritatem retinentes. Ultimus omnium, Romulus Augustulus, anno 476, depositus est ab Odoacro duce Herulorum, sicque corruit imperium romanum in Occidente.

109. CAUSAE EXCIDII IMPERII ROMANI IN OCCIDENTE. Juxta nonnullos conversio ad religionem christianam fuisset causa ruinae imperii in Occidente. Non advertunt quod in Oriente, ubi christiani numero plures erant, imperium per decem saecula, et non sine gloria, adhuc duravit.

In ipsa constitutione imperii quaerendae sunt causae debilitatis ejus contra barbaros Occidentem invadentes. Si enim "Graecia concidit immoderata libertate" (2), Roma immoderato dominatu corruit. Romani orbem ditionis suae fecerant ad extollendam Urbem. Jamvero copia omnium bonorum undique terrarum coacta in commodum paucorum civium, caeteris neglectis aut oppressis, serius ocius abusus quos nullus reprimere posset, parere debebat, tenuitatem

(1) L'empire s'évanouissait sous l'action de cette force latente, mais irrésistible, qui faisait couler toute sa sève dans les veines de l'Eglise. Quand il fallut défendre la société contre les envahisseurs barbares, ce furent des évêques et des prêtres qui se chargèrent de cette tâche." Kürth, *Les origines de la civilisation moderne*, Paris, 1888, p. 228.

(2) Cic.

IMPERATORES ROMANI (313-476)

	OCCIDENTIS		ORIENTIS	
313	Constantinus Magnus, 313-		Licinius, 313-324	313
324		Constantinus -337		324
337	Constantinus II, 337-340 **Constans, 337-**		Constantius, 337-	337
340	Constans, -350			340
350	Magnentius, 350-353			350
353		**Constantius, -361**		353
361		**Julianus Apostata, 361-363**		361
363		**Jovianus 363**		363
364	Valentinianus I, 364-375		Valens, 364-378	364
375	Gratianus, 375-383 **Valentinianus II, 375-**			375
379			Theodosius, 379-	379
383	Maximus, 383-388			383
388	Valentinianus II, -392			388
392	Eugenius, 392-394			392
394		**Theodosius, -395**		394
395	Honorius, 395-423		Arcadius, 395-408	395
408			Theodosius II (Pulcheria), 408-450	408
425	Valentinianus III (Placidia + 450), 425-455			425
450			Pulcheria (+ 453), Marcianus, 450-457	450
455	Avitus, 455-456			455
457	Majorianus, 457-461		Leo I, 457-474	457
461	Severus, 461-465			461
465	Ricimer, 465-467			465
467	Anthemius, 467-472			467
472	Olybrius, 472			472
473	Glycerius, 473			473
474	Julius Nepos, 474		Leo II, 474. Zeno, 474-491	474
476	Romulus Augustulus, 476		(Basiliscus, 476-477)	476

aerarii, direptis provinciis; molles et corruptos mores; militiam detrectatam; defectum sinceri amoris Romani nominis. Translata sedes Imperii, divisa potestas, debiles principes perfecerunt quod corrupti mores inceperant (1).

Fatendum est Ecclesiam, impugnando paganismum, etiam indirecte institutiones imperii, quae intime connectebantur cum paganismo, labefecisse. Aliunde non minus imperio quam Ecclesiae nocuit immixtio imperatorum in negotiis ecclesiasticis. Sed Ecclesia, contra pravos mores et superstitionem pugnando, virtutes christianas docendo, non solum sanctos viros, sed et optimos cives faciebat. Collabens imperium fulsisset, si fulciri potuisset.

§ 3. Propagatio Ecclesiae intra imperium.

110. ITALIA. Religio christiana, quarto saeculo, rapidis solidisque victoriis propagata est in Italia, etiam in superioribus provinciis, quas illustravit Ambrosius.

Roma remansit arx pagana per totum quartum saeculum: senatores, divites, patriciae gentes pleraeque paganae erant et veteris cultus tenacissimae. Lex Constantis superstitionem prohibens (341), lex Constantii sacricifica vetans etiam sub poena mortis (353), spernebantur. Quin etiam sacrificia publicis expensis offerebantur. Collegium Vestalium exstitit usque ad 395. Multi retardati sunt a conversione ad christianismum cultu divinitatum orientalium, novis ritibus Mithrae et mysteriis Isidis.

Lex Gratiani privans sacerdotes paganos et templa reditibus gravissime percussit paganismum. Symmachus senator non timuit tamen aperte defendere veterem cultum reipublicae et a Gratiano petere restitutionem arae Victoriae in curia senatus. Tandem annis 393-394, opera Flaviani Nicomachi, praefecti praetorio, et annuente Eugenio, vera instauratio paganismi attentata est. Victoria Theodo-

(1) "Il n'est pas possible de dire exactement ce que le christianisme a pu ajouter à un mal qui était plus ancien que lui et qui provient d'autres causes". Bossier, *La fin du paganisme*, Paris, 1898, t. 2, p. 375.

sii et mors Flaviani reddidit ommino van .n illum ultimum conatum partis paganorum (1).

Sed patriciae etiam gentes paulatim conversae sunt ad fidem atque opes et honorem Ecclesiae attulerunt (2). Haec scribere potuit Prudentius, quarto saeculo exeunte:

Sexcentas numerare domos de sanguine prisco
Nobilium licet ad Christi signacula versas...
Vix pauca invenies gentilibus obsita nugis
ingenia, obtritos aegre retinentia cultus (3).

Inter hos optimates nominari possunt Junius Bassus, IN IPSA PRAEFECTURA URBI NEOFITUS (4) (+359), Petronius Probus, consul (371), nobilis senator Pammachius (5) (+ 410), Marcella, Paula, Eustochium, Hieronymo charissimae, Melania, etc.

Saeculo quinto, omnes clades in Italiam ingruerunt. Roma ter capta est et direpta: a Gothis (410), a Vandalis (455), a Ricimer (472). Servata est autem a furore Attilae et Hunnorum, interveniente sancto Leone (452), sed superior Italia vastata est. Incolae Urbis dispersi sunt: "Nulla est regio, scribebat Hieronymus, quae non exules romanos habeat" (6). Pagani evanuerunt in hoc turbine, non autem eorum mores effeminati et depravati, quae severe reprehenduntur ab Ambrosio, Hieronymo, Salviano (7).

111. GALLIA. Gallia non multum passa est in persecutione Diocletiani, propter mansuetudinem Constantii Chlori, et statim post pacem Constantinianam episcopi gallici 16 inveniuntur inter patres concilii Arelatensis (314). Sed pagani adhuc numerosi erant, ruri praesertim, in pa-

---

(1) Cf. Grisar, *Histoire de Rome et des Papes au Moyen Age*, trad. Ledos, Paris, 1906, t. 1, pp. 4-27.

(2) Cf. De Broglie, *L'Eglise et l'Empire Romain au IV siècle*, 5 éd., Paris, 1900, t. 5, p. 23.

(3) Prud., *Contra Symm.*, 1, 567-568, 575-576.

(4) Inscript. sarcoph.

(5) Cujus ampla domus facta est ecclesia SS. Joannis et Pauli.

(6) Hieron., *Ep.*, 130, 5.

(7) "Video quasi scaturientem vitiis civitatem". Salv., *De gubernatione Dei*, 7, 16.

gis (1). A paganismo conversus est Hilarius Pictaviensis (c. 340). A paganis parentibus natus est Salvianus (c. 400). Apostolus Galliae est sanctus Martinus, cujus miracula et fama sanctitatis innumeros paganos adduxerunt ad fidem. Natus in Pannonia (317) a patre veterano, nomen primum dedit militiae. Baptizatus (339) castra reliquit et discipulus factus est Hilarii Pictaviensis. Ab anno 360, regressus in Galliam cum Hilario, fundavit monasteria (Ligugé, Marmoutiers) et incepit ministerium. Episcopus Turonensis factus est (371) et mortuus est anno 397 (2). Evangelizationem Galliae prosecuti sunt discipuli Martini inter calamitates invasionis Visigothorum.

112. HISPANIA. "Ab origine usque ad tempora regni Visigothorum christiana religio perpetuo crevit. Pax Ecclesiae reddita, gesta Hosii et immunitas a veneno ariano durante IV saeculo, deberent, ut videtur, celeris incrementi tot causae esse. Attamen nusquam talia leguntur. Scripta Prudentii et coaevorum attestantur numerum fidelium crevisse, sed eorum historia sat obscura manet" (3). Circa finem IV saeculi ecclesia hispanica perturbata est errore priscillianistarum, et V saeculo tota Hispania vastata est a barbaris germanicis. Ab anno 415 Gothi ariani arbitri rerum facti sunt.

113. AFRICA (4). Major pars Africae christiana erat jam ab initio quarti saeculi. Ecclesia multum passa est schismate donatistarum (311-411).

Schisma Donati (5). Diocletianus in edicto persecutionis (303) jusserat libros ecclesiarum tradendos esse ut comburerentur. Multi clerici, etiam episcopi, obtemperaverunt et ideo traditores vocati sunt. Mensurius, episcopus

(1) "A la fin de ce siècle (IV), de gros bourgs ne comptaient pas encore un seul chrétien". Bayet, *Histoire de France* de Lavisse, II, 1, p. 13.

(2) Cf. Sulp. Sev., *Vita Martini*. Régnier, *Saint Martin*, Paris, 1907.

(3) Leclercq, *L'Espagne chrétienne*, Paris, 1906, pp. 103-104.

(4) Leclercq, *L'Afrique chrétienne*, Paris, 1904, 2 vol.

(5) Optat., *De schism. Donat.*

Carthaginensis, pia fraude usus est et loco librorum ecclesiae suae tradidit libros nescio quosnam haereticorum. Ipso mortuo, Caecilianus diaconus ejus electus est et consecratus fuit a Felice Aptungitano (311), traditionis falso accusato. Episcopi numidici, qui nullam partem habuerant in electione Caeciliani, instigante Donato episcopo Casae Nigrae, elegerunt Majorinum, cui mox successit Donatus, Magnus dictus, a quo secta nomen accepit. Negabant validitatem ordinationis a traditore factae. Ecclesia africana divisa est in duas partes. Adeo ut fere in omnibus civitatibus duae ecclesiae essent et duo episcopi.

Melchiades Papa (313), concilium Arelatense (314), et tandem Constantinus (316) damnaverunt donatistas. Sed obstinate restiterunt, atque saevientes conati sunt vi imponere quod pacifice obtinere nequibant. Plebem furiosam cui hoc negotium committebatur vocabant *circumcelliones* (*circum, cellae*). Graviter oppressit eos Constantius (347) et a 349 pax cum unitate videbatur reddita Africae. Cum autem a Juliano revocati essent exules, dissensiones de integro exortae sunt. Ipsi Donatistae divisi sunt in varias sectas: Rogatistas, Maximianistas, Primianistas. Quinto saeculo ineunte, multi et potentes erant, ita ut "contra eorum insidias et violentias et apertissima latrocinia" (1) nulla esset securitas. Appellatum est ad Honorium Imperatorem qui dure eos tractavit, et tandem coegit venire ad *Collationem* cum catholicis, in qua facile ab eloquentia et scientia Augustini convicti sunt. Cum autem postea severe reprehenderentur ab Imperatore, multi redierunt ad unitatem, tamen non omnes (411).

Pagani. Etiam quinto saeculo ineunte, adhuc erant pagani quos non dedignatus est Augustinus redarguere. Superstitio pagana non erat exstincta: "Aliquando dicunt sibi: Deus ad vitam aeternam necessarius est; potestates autem istae (Neptunus, Juno) debent a nobis coli propter ista temporalia" (2).

Vandali (3). Anno 429, Geisericus, dux Vandalorum, transivit ab Hispania in Africam, cum tota natione (80 000)

(1) Aug., *Ep.*, 185.
(2) Aug., *Enar. in Ps.*, 26, 19.
(3) Victor Vit., *Hist. pers. Vand.*

et mox totam provinciam in potestatem suam redegit. Arianus erat et per 50 fere annos (+ 477) incredibilibus contumeliis, spoliationibus et violentiis catholicos, quos homoousios vocabat, affecit.

114. ORIENS. Quarto et quinto saeculo, Oriens exagitatus est dissensionibus religiosis et variis haeresibus. Pagani pauci erant, etiam in pagis et vicis, sed tamen non exstincti, et tempore instaurationis paganae Juliani, multi inveniebantur Heliopoli, Emesae, Gazae, Alexandriae Aegypti. Civitas Antiochena erat totaliter christiana, et tamen, quando Julianus conatus est renovare cultum Apollinis Daphne prope civitatem, nonnulli reperti sunt pagani.

---

§ 4. Propagatio Ecclesiae extra imperium.

115. PERSIA(1). Juxta Origenem, Thomas Apostolus praedicasset Parthis, qui dominati sunt Persis usque ad 226. Videtur Ecclesiam fuisse fundatam circa medium saeculum III sub Sapore I (241-272). Initio quarti saeculi constituta est hierarchia ecclesiastica. Aphraates, "sapiens persa", scripsit circa 340. Ab anno 339 Sapor II (309-379) persecutus est christianos, quos supponebat favere Romanis, suadentibus insuper potentissimis magis, usque ad mortem (379). Multi fuerunt martyres. Renovata est persecutio anno 420 ab Iazdgerd I (399-420), et saeviit sub Bahram (420-438) et Iazdgerd II (438-457), duravitque usque ad finem quinti saeculi, quo tempore christiani persae facti sunt nestoriani.

116. ARMENIA. Etsi plures fuerint christiani in Armenia ante Gregorium Illuminatorem, ipse tamen dicendus est Apostolus Armeniae (in. IV saec.) Tota fera natio ab ipso conversa est ad Christum. Venerantur insuper memoriam metropolitae (*catholicos*) Nerses (353-374), discipuli Basilii Magni, quem occidit Pap rex (367-374) factus a Valente. Anno 428 Armenia tota subjecta est Persis, qui tunc

(1) Labourt, *Le christianisme dans l'empire perse*, Paris, 1904.

persequebantur christianos. Denique in synodo anno 491 coacta, *Henoticon* Zenonis receperunt et monophysismo adhaeserunt.

Propagata est christiana religio in Georgiam tempore Constantini Magni (c. 330), et in Arabiam meridionalem, inter Sabaeos, sub Constantio.

117. ABYSSINIA. Apostolus Abyssiniae est Frumentius, qui, cum captivus factus esset, primo praedicavit in ipsa aula regis. Postea veniens Alexandriam, ordinatus est episcopus ab Athanasio et rediit in Abyssiniam totamque fere regionem ad Christum convertit (c. 330). Propter antiquas relationes cum ecclesia Alexandrina, quam ut metropolitanam agnoscebant, cum ipsa prolapsi sunt in errorem monophysitarum.

118. GOTHI. Gothi oriundi sunt ex Scandinavia et Prussia. Secundo et tertio saeculo, descenderunt usque ad Pontum Euxinum. Romani potuerunt continere eos ad ripas Danubii, sed a quinto saeculo, invaserunt imperium. Fidem primum audierunt a Romanis captis in Cappadocia, in expeditione an. 264. Sed conversi sunt ad Christum opere Ulfilae (+c. 381), inter Gothos e familia captivorum nati. Cum edoctus esset ab Eusebio Nicomediensi, videtur ipsis doctrinam plus minusve rectam tradidisse. Quando admissi sunt in imperium, in Moesiam, a Valente (375), ariani facti sunt et tales pertinaciter semper permanserunt. Distinguuntur praesertim Visigothi qui descenderunt in Galliam et Hispaniam, et Ostrogothi, qui Italiam subegerunt.

119. ANGLIA. Legiones romanae reliquerunt Britanniam anno 410. Britones quoad majorem partem conversi erant ad fidem (1). Plures episcopi britanni aderant concilio Ariminiensi (359) (2). Invadentibus paganis Saxonibus (455-495), subjecti sunt Britones et expulsi, ecclesia paene destructa.

---

(1) Cabrol, *L'Angleterre chrétienne*, Paris, 1909, pp. 40-41.
(2) Sulp. Sev., *Hist. sacr.*, 2. 55.

120. HIBERNIA. Fides probabiliter annuntiata erat etiam in Hibernia, sicut in Anglia, quarto saeculo. De facto, juxta Prosperum Aquitanum (+ 463), "ad Scottos (*Hibernicos*) in Christum credentes ordinatus a papa Caelestino Palladius primus episcopus mittitur (431)" (1). Sed apostolus Hiberniae est Patricius. Vitae autem Patricii sunt relative recentes (VII saec. ex.) et legendariae. Quin etiam identificatur a nonnullis cum ipso Palladio, cujus barbarum nomen (britannum) esset Sucat (2). Venit autem Patricius in Hiberniam (432), et superatis paulatim omnimodis aerumnis, totam gentem convertit. Mortuus est c. 461 (17a martii?) (3).

---

(1) Prosp. Aquit., *Chronic.*

(2) Cf. art. *Keltische Kirche*, in *Realenc.* Hauck, t. 10, p. 216.

(3) Cf. Haddan and Stubbs, *Councils and ecclesiastical documents relating to Great Britain and Ireland*, Oxford, 1869-1878. Bury, *Life of saint Patrick*, London, 1905. Healy, *The life and writings of S. Patrick*, Dublin, 1905. Gougaud, *Les chrétientés celtiques*, Paris, 1911.

CAPUT SECUNDUM

ECCLESIA ET BARBARI (476-692)

---

§ 1. Imperatores byzantini. Ecclesia multum patitur ex eorum illegitima ratione agendi in negotiis ecclesiasticis.

FONTES. Evagrius. Procopius. Codex Justiniani. Scriptores ecclesiastici graeci coaevi. Cf. art. *Byzantine Empire* in *Catholic Encyclop.*, t. 3, p. 97 ss. Pargoire, *L'Eglise byzantine de 527 à 847*, Paris, 1905.

121. IMPERIUM PERPETUUM. Sublato imperio, nihil fere mutatum est in conditione jam a longo tempore miserrima Occidentis. Etsi mutaretur principatus, et nova regna conderentur, in mente populorum suprema potestas penes unum imperatorem Constantinopolitanum erat (1). De caetero instituta romana ubique servata sunt, et praesertim in Italia. Invasio Longobardorum (568) multo majorem perturbationem attulit.

122. THEODOSII JUNIORIS SUCCESSORES. Pulcheria (399-453), quae jam rexerat imperium sub nomine fratris sui Theodosii, post ejus mortem ei successit. Socium imperii fecit senatorem Marcianus (450-457). Ipso mortuo, obtinuit imperium Leo I (457-474), opera Asparis, ariani magistri militum alani. Ei successit filius Ariadne, filiae ejus, Leo II, et post paucos menses, vir Ariadne, Zeno, isauricus dux militum (474-491). Basiliscus, frater Verinae, uxoris Leonis I, arripuit imperium et ejecit Zenonem per unum annum (476-477). Post mortem Zenonis, Ariadne in

---

(1) "L'idée de l'unité et de l'universalité de la dignité impériale qui avait établi son siège dans la nouvelle Rome, continuait de se maintenir ; elle subsista dans l'esprit des populations après comme avant 476, non seulement chez les peuples latins, mais jusqu'à un certain point chez les peuples germaniques". Grisar, *Histoire de Rome et des Papes au Moyen Age*, Paris, 1906, t. 1, p. 86.

matrimonium duxit Anastasium Silentiarium, qui ita consecutus est imperium (491-518).

Haec periodus, in qua notanda est pars mulierum necnon et barbarorum militum, agitata est omnimodis dissensionibus religiosis. Qui summos honores appebebant innitebantur factionibus religiosis oppositis, et potestate adepta conabantur edictis unitatem facere, et omnes partes conciliare, puritate fidei neglecta. Sic Basiliscus innixus est monophysitis, et Zenó perfido symbolo (*Henoticon*) discordias conatus est componere.

123. JUSTINIANUS (1) ET SUCCESSORES. Anastasio mortuo, Justinus I, magister palatii, obtinuit imperium (518-527). Favebat orthodoxis et schismatis Acaciani, tempore Zenonis orti, finem fecit (519). Adhuc eo vivente magnam habebat auctoritatem nepos ejus Justinianus I, post mortem successor (527-565). Maximus sine dubio princeps iste fuit (2). Omnibus disciplinis excultus, labori maxime assiduus, adjutus a ministris optimis, Belisario, pro re militari, et Joanne Cappadoci, pro aerario, despotice sed peritissime imperium rexit. Barbaros continuit, recuperavit Africam a Vandalis et Italiam a Gothis. Innumera rescripta dedit. Leges imperii collegit et edidit in Codice (*Codex Justinianus*, 529; *Pandectae* (jurisprudentia), 530; *Institutiones*, 530; serius additae sunt *Novellae Constitutiones*). Innumera etiam monumenta religiosa et profana aedificavit, inter quae eminet ecclesia Sanctae Sophiae Constantinopoli. Vere christianus, immo et pius et fere semper orthodoxus, fuit, sed voluit decernere de rebus ecclesiasticis tanquam si Ecclesia esset subjecta supremae auctoritati Imperatoris. Theodora, uxor ejus, ante matrimonium saltatrix, mente praeclara mulier erat, favebat autem aperte monophysitis. Vir Sophiae, neptis Theodorae, Justinus II, Justiniano successit (565-578), atque ejusdem favore postea Tiberius (578-582). Successores

---

(1) Diehl, *Justinien et la civilisation byzantine au VI siècle*, Paris, 1901.

(2) "One may question whether any state can show in its history so magnificent a ruler". Fortescue, *Justinian*, *Cath. Encycl.*, t. 8, p. 580.

IMPERATORES BYZANTINI (491-709)

	Africa	Italia		Illyricum	Imperatores	Syria	Arabia	Aegyptus
491	Vandali				Anastasius (491-518)			
493		Ostrogothi 493-553						
518					Justinus I (518-527)			
527					Justinianus (527-565)			
534	Byzantini							
553		Byzantini						
565					Justinus II (565-578)			
568		Longobardi	Exarchatus					
578					Mauritius (578-602)			
602					Phocas (602-610)			
610					Heraclius (610-641)			
633						Arabes	Arabes	
637								
641					Constantinus II (641			
642					Constans II (642-668)			
643								Arabes
668					Constantinus IV (668-685)			
678								
685				Bulgari	Justinianus II (685-695)			
709	Arabes							

ejus, Mauritius (582-602) et Phocas (602-610), imperium obtinuerunt favore militum.

124. IMPERIUM GRAECUM BYZANTINUM. Usque ad septimum saeculum, imperium romanum remansit, etsi sedem haberet Constantinopoli. Lingua documentorum authenticorum erat latina. Justinianus potest haberi ut ultimus imperator romanus. Vix eo mortuo, Longobardi Italiam invadunt (568). Administratio militari-civilis exarchae constituitur in provinciis Italiae et Africae. Lingua imperii mox fit graeca. Union intima, ne confusionem dicam, administrationis religiosae et civilis sancitur a *Corpore Juris Civilis*. Incipit Imperium Byzantinum.

125. HERACLIUS ET SUCCESSORES. Heraclius (610-641) et filii ejus Constantinus III (641) (1), Constans II (642-668), Constantinus IV Pogonatus (668-685), optimi duces fuerunt et defenderunt imperium contra Slavos et Bulgaros, contra Persas (2), et contra Arabes qui tamen multas victorias reportaverunt. Justinianus II debilior fuit et depositus est (685-695).

Et isti principes immiscuerunt se negotiis ecclesiasticis, et, cum vellent propter fines politicos unitatem religiosam facere, formulum fidei conciliatoriam erroneam proposuerunt (monothelismum), et conati sunt omnibus imponere profundioremque fecerunt discordiam cum Ecclesia occidentali.

126. CAESAROPAPISMUS. Hac voce barbara designatur usurpatio auctoritatis religiosae a principe civili. In Occidente, ubi principes debiles, res publicae perturbatae, episcopi romani maximi, Ecclesia independentiam servavit. In Oriente, princeps sciebat se esse successorem imperatorum Pontificum Maximorum, et videbat necessitatem componendi discordias religiosas ad servandam unitatem iperii. Insuper ad eum episcopi Constantinopolitani, primatus suae sedis cupidissimi, et alii, animo servili, res ecclesiasticas deferebant. In vanum clamabat Leo Magnus: Alia ratio est rerum

(1) Constantinus III mortuus est post paucos menses et thronum reliquit fratri.

(2) Persae devicti sunt 628 et restituerunt Veram Crucem 14a septembris 629. Expugnaverant Jerusalem anno 614.

saecularium, alia divinarum (1). Imperator paulatim arripuit supremum et ultimum judicium in controversiis fidei et negotiis ecclesiasticis. Caesaropapismus byzantinus culmen obtinuit in Justiniano.

§ 2. Regna occidentalia barbarorum. Ecclesia patitur persecutiones donec ad fidem adducantur.

127. REGNUM OSTROGOTHORUM (493-555) (2). Theodoricus (493-526) invasit Italiam suadente Zenone Imperatore, eam subjecit et sedem regni sui posuit Ravennae. Sapienter regnavit dum usus est consiliis Cassiodorii et Boethii. Etsi arianus, non persecutus est Ecclesiam nisi in fine vitae. Misit tunc Joannem papam I in carcerem ubi mortuus est (526). Successit Athalaricus sub tutela matris Amalasonthis, filiae Theodorici, et anno 534, Theodahatus. Anno 535, Belisarius a Justiniano missus, subacta Africa, venit in Italiam quam fortiter defenderunt Vitiges, Totila, Teias usque ad 553. Italia facta est denuo provincia imperii. Ei praefuit exarcha Ravennae (usque ad eversionem potestatis byzantinae a Longobardis, 751). Conditio Summi Pontificis et Ecclesiae, praesertim in bello 20 annorum, fuit tunc difficilis et miserrima.

128. REGNUM LONGOBARDORUM (568-774) (3). Longobardi, turba variorum barbarorum, occupaverunt septentrionalem Italiam, duce Alboino, anno 568. Pessimi omnium barbarorum fuerunt et maxime oppositi "civilitati Romanorum" (4). Pagani erant plerique et quidam ariani, atque infensissimi Ecclesiae fuerunt. Paulatim tamen ad fidem adducti sunt. Theodolinda, uxor franca Autarii (584-591), et deinde Agilulfi (591-615) quem convertit ad fidem, providentia fuit catholicorum. Ariovaldus (625-636) et Ro-

(1) Leo, *Ep.*, 104, 3.

(2) Cassiodorius scripserat 12 libros *De origine actibusque Getarum* partim asservatos in Jordanis compendio. Procopius, *De bello gothico*.

Reges:	Theodoricus	(493-526)	Vitiges	(536-541)
	Athalaricus	(526-534)	Totila	(541-552)
	Theodahatus	(534-536)	Teias	(552-553)

(3) Warnefridus (Paulus Diaconus), *Hist. Longobardorum*.

(4) *Edict. Theodor.* (Cassiod).

tarius (636-652) erant ariani. In secunda parte septimi saeculi anarchia regnavit. Liutprandus (712-744) sincerus catholicus fuit sed dominationis cupidissimus. Astulfus (749-756) minatus est pontifici romano qui vocavit Francos in auxilium. Tandem Carolus Magnus regni Longobardorum finem fecit (774).

129. REGNUM BURGUNDIONUM ET FRANCORUM. Burgundiones migrarunt e ripis rhenanis et condiderunt regnum Lugduni. Eorum rex Gundobaldus jam favebat catholicis etsi arianus. Ejus filius Sigismundus conversus est ad veram fidem (517) opera sancti Aviti. Franchi subjecerunt Burgundiones anno 534.

Franchi (1) medio saeculo quinto descenderunt a ripis Rheni in Galliam per provinciam Belgicam. Dux eorum Clodovaeus devicit Romanos Suessione (486), Alemanos prope Tolbiacum (493), et Alaricum, regem Visigothorum (507). Regnum conditum erat. Post mortem ejus (511), filii ejus occupaverunt Burgundiam (534) et receperunt Provinciam ab Ostrogothis (536).

Clodovaeus conversus ad fidem anno 496 suadente pia ejus uxore sancta Clotilda, et baptizatus est a sancto Remigio cum pluribus militibus suis. Dum alii barbari primo conversi sunt ad arianismum, Franchi statim a paganismo ad veram fidem transierunt. Hoc explicat quod citius potuerint constituere regnum stabile. Suadentibus episcopis, eadem jura Gallo-Romanis (a tempore Martini fere omnes catholicis) concesserunt, et cum ipsis gentem fortem formaverunt. Suscepta fide romanorum, facilius et plenius imbuti sunt eorum humanioribus et magis excultis moribus. Gens eorum nobilissima vocata est primogenita filia Ecclesiae, atque ad eam saepe confugerunt Romani Pontifices ut auxilium et protectionem acciperent.

Divisio regni post mortem regis, juxta legem Francorum sub Merovingianis, fuit perpetua occasio dissensionum et belli civilis. Ultimis annis saeculi sexti, propter contentionem inter reginas Brunichildem et Fredegondam, res civiles et ecclesiasticae in miserrimo statu fuerunt. Anno 614,

(1) Gregorius Turonensis, *Hist. Francor.* Molinier, *Les sources de l'histoire de France*, Paris, 1901.

Clotarius II defuit cedere reclamantibus nobilibus et ipsis concedere privilegium eligendi Majoremdomus, cujus auctoritas gradatim ita crevit ut totam potestatem obtineret et reges pro arbitrio crearet, donec ipse coronam arriperet. Perturbata sunt omnia in Statu et Ecclesia a morte Dagoberti I (638), praesertim sub crudeli Majoredomus Ebroino (669-681). Res restituit Pipinus Heristallus (681-714).

130. REGNUM SUEVORUM (410-583) ET VISIGOTHORUM (411-711) (1). Suevi invaserunt Hispaniam cum Vandalis anno 409 et regnum condiderunt in superiore Hispania et Lusitania saltem ab anno 430(2). Primo conversi, ariani facti sunt (466) et denuo ad veram fidem reducti opera sancti Martini Bracarensis (560). Subjecti sunt a Visigothis (583).

Visigothi condiderunt regnum Tolosae in inferiori Gallia et superiori Hispania. Propulsi a Gallia a Clodovaeo et filiis ejus regnaverunt Barcinone (531) et postea Toleti (650) (3).

---

(1) Idacius, *Chronicon*.—Isidorus, *Hist. Goth., Vand. et Suev*. Leclercq, *L'Espagne chrétienne*, Paris, 1906.

(2) Reges:

Hernierieus	(430-439)	Hermenericus	
Rechila	(439-448)	Recilianus	
Richiarius	(448-456)	Carriaricus	(550-559)
Maldras	(457-460)	Theodomirus	(559-569)
Remismundus	(460-468)	Mirus	(569-582)
Rechila		Eboricus	(583)
Theodemundus			

(3) Reges:

Tolosae		Athanagildus	(554-567)
Walia	(411-420)	Leovigildus	(568-586)
Theodoricus	(420-451	Reccaredus	(587-601)
Thorismundus	(451-453)	Liuva	(601-603)
Theodoricus II	(453-467)	Willericus	(603-610)
Euricus	(467-485)	Gundemia	(610-611)
Alaricus	(483-507)	Sisebutus	(612-621)
Gesalicus	(507-511)	Suinthilla	(621-631)
Amalaricus sub tutela Theodorici	(511-526)	Sisenandus	(631-636)
(solus)	(526-531)	Chintilla	(636-640)
Barcinone		Chindaswinthus	(640-653)
Theudis	(531-548)	Receswinthus	(653-672)
Theodegiselus	(548-549)	Wamba	(672-680)
Toleti		Ervigius	(680-687)
Agila	(549-554)	Egica	(687-700)
		Witiza	(700-710)

Visigothi erant ariani et persecuti sunt catholicos toto saeculo quinto. Durante tamen tutela Theodorici regis Ostrogothorum (511-526), ordo et pax restituta est. Graviter persecutus est catholicos Leovigildus (568-586), qui proprium filium Hermenegildum occidit (585). Reccaredus (587-601) conversus est ad veram fidem a sancto Leandro (587) et deinceps tota gens verae fidei firmiter adhaesit. Concilia Toletana 17 (589-701) attestantur Ecclesiam floruisse usque ad invasionem Arabum (711).

131. **REGNUM VANDALORUM** (429-534) (1). Post Geiserichum, regnavit Hunericus (477-484), qui graviter oppressit catholicos. Ultimi reges vandali, Guntabundus (484-496), doctus Thrasamundus (496-523), Hildericus (523-531), Gelimer (531-534) lenius eos tractaverunt. Anno 533, Belisarius occupavit Carthaginem et anno sequenti totam provinciam redegit sub potestate Justiniani.

132. **REGNUM ANGLO-SAXONUM** (2). Angli ex superiori Germania venerunt in Britanniam, et, devictis Britonibus (559), condiderunt cum Saxonibus heptarchiam. Britones fideles remanserunt praesertim opera monachorum, quorum maximi sunt David (+ 5 [illegible]), Kadoc (+ 590), Kentigern. Caledonii, incolae Scotiae septentrionalis, conversi sunt ad fidem in secunda parte saeculi sexti a Columbano, qui exstruxit in insula Iona (Hy) celeberrimum monasterium (563), "lumen septentrionis" usque ad invasionem Danorum (saec. VIII ex.).

Britones noluerant praedicare fidem crudelibus inimicis. Gregorius Magnus misit in Angliam Augustinum (+ 605) cum 40 monachis (597), qui statim plures ad fidem adduxerunt. Medio saeculo septimo, adjuvante etiam sancto monacho Britone Aidano (634-651), omnia regna heptarchiae, excepto Sussex, christiana erant. Sancto Wilfrido (634-709) debetur victoria rituum romanorum supra ritus Britonum, et conversio Sussex (681). Theodorus, natus 602,

(1) Cf. supra p. 98.—Leclercq, *L'Afrique chrétienne*, Paris, 1904.

(2) Beda, *Historia ecclesiastica gentis Anglorum*.— Cabrol, *L'Angleterre chrétienne*, Paris, 1909.

REGNA OCCIDENTALIA BARBARORUM (V-VIII)

	Anglia	Africa	Hispania	(Lusitania)	Gallia	Italia	
395						**Honorius (395-425)**	
410	Britones						
411			Visigothi 411-711				
413					**Burgundiones 413-534**		
429		Vandali 429-534					
430				Suevi 430-583			
455	Saxones						
476						**Odoacer 476-493**	
486					Franchi 486-...		
493						**Ostrogothi 493-553**	
534		Byzantini 534-709					
553						Byzantini 553-	
555	Angli						
568						Longobardi 568-774	Exarchatus -751
583				Visigothi			
612					Majordomus		
709		Arabes					
711			Arabes				
751							
774							

monachus graecus, episcopus Cantuariensis a Papa factus 668, mortuus 690, hierarchiam instauravit. Venerantur pium Cuthbertum (+ 687) et eruditum Benedictum Biscop (+ 690).

133. HIBERNIA (1)) Maxime floruit ab initio religio christiana in Hibernia. Innumera fundata sunt monasteria jam ab initio saeculi sexti: Clonard a Finniano (c. 520), Clonmachois a Ciaranno (c. 545), Clonfert a Brendanno (c. 552), Bangor a Comgallo (3000 m.) (c. 558), Derry a Columba (ante 563) sunt celebriora. Multi erant monachi et Ecclesia erat fere exclusive monastica, hierarchia vix cognita. Multi etiam erant anachorete. Hibernia facta est insula monasteriorum et monachorum.

Devoti monachi "scotti" facti sunt apostoli et in toto Europa fidem et amorem vitae monasticae praedicaverunt. Initiator illarum "peregrinationum pro Christo" est Columbanus. Venit in Galliam cum 12 monachis (c. 590), ubi monasteria fundavit (Luxoviense), et per Germaniam, in Italiam. Mortuus est Bobbio anno 615 (monasterium Bobbiense). Monasterium Sangallense commemorat Gallum socium Columbani. Exemplum et praedicatio Columbani fuit quasi semen monasteriorum, in quibus sequebantur ejus regulam, quandoque cum regula benedictina mixtam.

---

§ 3. Propagatio Ecclesiae extra antiquos limites imperii.

134. GERMANICAE TRIBUS. Irenaeus loquitur de "ecclesiis germanicis" (2), sed hoc debet intelligi de provinciis romanis septentrionalibus. Conversio Germanorum, in multas tribus independentes et jugi impatientes divisorum, difficilis et longa fuit, atque non facta est ante medium saeculum sextum vel septinum. Debetur praesertim zelo missionariorum Anglorum et Scottorum qui fundaverant monasteria in regno Francorum. Praecipui sunt Fridolinus

(1) Gougaud, *Les chrétientés celtiques*, Paris, 1911.
(2) Iren., *Adv. haer.*, 1, 3.

(+ 530), Columbanus (+ 615), Gallus (+ c. 625), Rupertus (+ c. 700), Kilianus (+689). Praedicatio tamen eorum fuit potius semen Evangelii quam institutio ecclesiarum. Verus apostolus Germanorum est Bonifacius (+ 755).

135. SINENSES. Pia superlatio apologetae videbantur verba Arnobii: "Enumerari non possunt quae in India gesta sunt, apud Seras (Sinenses), Persas,..." (1). Et forsan ita est, sed tamen certum est doctrinam christianam cognitam esse in Sina saltem septimo saeculo. Nam anno 1625, inventum est in veteri urbe principali regni, Si-ngan-fu, monumentum christianum cruce ornatum cum longa inscriptione litteris sinensibus et syriacis anno 781 scripta, juxta quam doctrina christiana praedicata est et communitas fundata a Nestorianis anno 638 (2).

§ 4. Islamismus (3).

136. MAXIMUM IMPEDIMENTUM. Nihil tam impedivit propagationem Ecclesiae in Oriente quam Islamismus seu religio praedicata a Muhammed initio septimi saeculi. Islamismus rapide et late diffusus est et, nostris diebus, 202 millia millium muhammedanorum numerantur in Asia et Africa. Ut religio, islamismus reddit conversionem ad christianismum difficilem et fere impossibilem. Ut potestas politica, non solum impedivit praedicationem christianam in multis regionibus Orientalibus et persecutus est christianos, sed perpetuo minatus est imperio christiano byzantino, donec ejus ruinam consummaret et mox totum mundum christianum in discrimen adduceret.

137. MUHAMMED. Muhammed natus est c. 570 (c 580, juxta Lammens). Omnia ignorantur de prioribus ejus annis, nisi quod pauper erat et orphanus, et protegeba-

(1) Arnob., *Adv. Nat.*, 2, 12.
(2) Cf. art. *Chine* in *Dict. d'archéol.*, ubi invenitur optimum emblema monumenti et inscriptionis.
(3) Huby, *Christus, Manuel d'histoire des religions*, Paris, 1916, c. 14, *L'Islam*, pp. 729-812.

tur a patruo Abu Talib. Deinde scimus ejus relationes cum divite vidua quadragenaria Khadigia, pro qua mercaturam egit quamque postea duxit uxorem cum esset ipse 25 annos natus. Muhammed dicit se habuisse visiones (*fanatica somnia, auto-suggestiones*) in monte Hira, prope Meccam, et accepisse missionem a Deo praedicandi tanquam ejus prophetam. Certum est quod c. 610 incepit praedicare novam religionem in civitate Meccensi. Multos Meccenses rudes, ignaros, servos, discipulos fecit, sed divites, immo tota civitas, ei maxime adversabantur. Cum nullo modo proficeret, cogitavit de Mecca relinquenda. Post longa colloquia, accersitus aut acceptatus a civibus Iathrib, Medina postea dictae (1), venit in hanc civitatem cum 70 saectatoribus (622). Ab hoc anno, quem vocant Hegyram (*hijra*, migratio) Muhammedani computant annos (12 mensium lunarium).

Medinae mutata est praedicatio Muhammed, qui, missioni prophetae addidit missionem principis, et incepit vi cogere eos qui ipsum non agnoscerent. Vix nonnisi clades primum accepit, sed tandem occupavit Meccam anno 630 et mox omnes tribus totius Arabiae subjugatae sunt. Mortuus est Medinae (633).

Muhammed summo ingenio praeditus erat, si ingenium nil aliud nisi audacia et astutia est. Dominationis, divitiarum, voluptatis cupidissimus fuit. Olim ab omnibus ut deceptor habebatur. Concedi forsan potest aliqua sinceritas ab initio praedicationis ejus, sed certe non erat sincerus quando suppositis revelationibus utebatur ad excusanda atrocia sua crimina (2).

138. DOCTRINA MUHAMMED. Muhammed religionem suam Islam (*submissionem*) vocat. Quinque praecipua officia Muhammedani, "columnae Islamismi", sunt : fides, oratio, eleemosyna, jejunium et peregrinatio. 1° Unus est articulus symboli : Nullus Deus nisi Deus, et Muhammed ejus propheta est. Credunt practice in Deum, angelos, librum sacrum Qoran, prophetas, resurrectionem et judicium, et praedestinationem. 2° Oratio est pure exterior et melius

(1) Id est, civitas (prophetae).
(2) Cf. Huby, *op. cit.*, p. 772 s.

vocaretur liturgia. Quinquies in die orandum est, praemissis ablutionibus manuum et pedum aqua, vel etiam arena, deficiente aqua. 4° Jejunium obligat omnes ab anno 14 et observatur per totum mensem Ramandan: ab ortu sollis usque ad occasum non manducant neque bibunt. 5° Peregrinatio, semel in vita, si possibilis sit, ad civitatem Meccensem. Insuper prohibentur vinum, caro suilla, imagines quaecumque entium viventium. Praecipiuntur ablutiones ante ingressum in templum. Circumcisio servatur. Permittuntur polygamia (4 uxores) et divortium. Contra infideles omnia licent et laudatur bellum sacrum.

139. CAUSAE CELERIS PROPAGATIONIS ISLAMISMI. Mira propagatio Islamismi explicatur speciali concursu circumstantiarum politicarum et religiosarum, elementis veritatis ex judaismo et christianismo desumptis et cum traditionibus antiquis paganis callide mixtis, disciplina morum laxa, inculta conditione eorum quibus praedicatus est, caractere ejus politico, et vi armorum adhibita.

CAPUT TERTIUM

HIERARCHIA ECCLESIASTICA.

---

§ 1. Pontifices romani.

FONTES. *Liber Pontificalis. Regesta* Pontificum Romanorum. Cf. Grisar, *Histoire de Rome et des Papes au Moyen Age*, trad. Ledos, Paris, 1906.

140. QUARTUM SAECULUM(1). Praecipui Pontifices Romani quarti saeculi sunt Silvester I, Julius I, Liberius, et Damasus. Silvester I (314-335) rexit Ecclesiam regnante Constantino Magno. Vidit initia haeresis arianae, in qua tamen controversia, (sicut in schismate Donati), vix ullam videtur habuisse partem, praeterquam quod praefuit per legatos concilio Nicaeno (325). Basilicae aedificatae sunt in honorem sancti Petri, Laurentii, Agnetis, Petri et Marcellini.

Julius I (337-352) strenue certavit contra Arianos et defendit Athanasium, graviter reprehendens adversos episcopos. Praefuit per legatos concilio Sardicensi (343), quorum patres in epistola laudaverunt sedis romanae supremam auctoritatem. Multas exstruxit ecclesias.

Liberius (352-366) fuit primo defensor Athanasii. Propterea in exilium missus, ibique fractus vexationibus, post duos annos subscribere formulae ambiguae Sirmiensi et manum dare inimicis Athanasii persuasus est (2). Ab exilio regressus (358) acclamante populo, antipapam Felicem (355-365) invenit. Aedificavit basilicam sanctae Mariae Majoris.

---

(1)

Marcellinus,	(296-304)	Julius I,	(337-352)
Marcellus,	(308-309)	Liberius,	(352-366)
Eusebius,	(309-310)	(Felix)	(355-365)
Melchiades,	(311-314)	Damasus,	(366-384)
Silvester,	(314-335)	(Ursinus)	(366-367)
Marcus,	(336)	Siricius,	(384-399)

(2) D'Alès, *Libère (Le Pape)*, in *Dict. Apol.*, Paris, 1915, t. 2, col. 1842-1851. Quidam minus probabiliter eum prorsus excusant.

Damasus (366-384) inter illos omnes eminet. Ursinus (366-367), a quadam factione populi et cleri electus, seditionem excitavit contra Damasum, sed mox expulsus est a civitate et missus in exilium a Valentiniano. Optime gessit res ecclesiasticas, atque ut caput totius Ecclesiae, synodis coactis (369, 374, 376, 380, 382?), res ad se delatas judicavit damnavitque Arianos, Macedonianos, Apollinaristas. Instigante Hieronymo, promulgatum est decretum *De libris recipiendis*, sub nomine Gelasii vulgatum (1). Plura scripsit praesertim epitaphia martyrum, quorum sepulchra pie restauravit. Pretiosae ejus inscriptiones in tabulis marmoreis pulcherrime caelatae a Philocalo ad nos usque ex parte pervenerunt.

Siricius (384-399) maxime congnoscitur decretalibus suis, "decretis generalibus" (2), omnium forsan vetustissimis.

141. QUINTUM SAECULUM (3). Retineri debent nomina Innocentii I et Leonis Magni.

Innocentius I (401-417) fortiter defendit Joannem Chrysostomum. Legatione fungebatur Ravennae quando Alaricus diripuit Urbem (410). Multas decretales graves reliquit.

Leo I (440-461) meretur cognomen *Magnus* quo decoravit eum antiquitas. Rebus civilibus et ecclesiasticis aeque peritus, in maxima temporum angustia, Ecclesiae potestatem servavit et unitatem. Sollicitudine pastorali, fidei defensione, sanctitate vitae claruit. Urbem protexit contra Attilam (452), et post direptionem Geiserici (455) instauravit. Jura "Sedis Apostolicae", quae originem habent "ex institu-

---

(1) *Enchir. symb.*, Denz-Bannw., 83, 84.

(2) Nota ejus verba: "generalia decreta prohibeant". *Ep. ad Himer.*, (an. 385), Denz-Bannw., 88.

(3)

Anastasius I	**(399-401)**	**Leo I**	(440-461)
Innocentius I	**(401-417)**	**Hilarus**	(461-468)
Zozimus	**(417-418)**	**Simplicius**	**(468-483)**
Bonifacius I	**(418-422)**	**Felix II**	(483-492)
(Eulalius)	**(418-419)**	**Gelasius I**	(492-496)
Coelestinus I	**(422-432)**	**Anastasius II**	(496-498)
Sixtus III	(432-440)		

tione divina" (1), indulgenti prudentia simul et constanti fortitudine tam in Oriente quam in Occidente defendit. Definivit distinctionem naturarum in Christo in *Epistola dogmatica* ad Flavianum episcopum Constantinopolitanum missa. Epistolae ejus 143 constituunt pretiosum fontem ad cognitionem historiae et disciplinae ecclesiasticae hujus temporis acquirendam. Reliquit *Sermones* pietate et doctrina refertos.

Gelasius (492-496) in synodo (secunda) (496, Hefele) promulgavit, quibusdam additis, decretum *De libris recipiendis* (Damasi).

142. SEXTUM SAECULUM (2). Juxta pontifices dubiae memoriae, Silverium (536-537), Vigilium (537-555), Pelagium (556-561), qui non semper satis fortiter restiterunt potenti imperatori Justiniano, fulget gloria Gregorii Magni (590-604).

Vigilius (537-555), favore Theodorae imperatricis a Belisario antipapa constitutus, sed postea a clero romano receptus, conatus est primo resistere Theodorae et monophysitis, sed accersitus Constantinopolim a Justiniano, ambigue se gessit et ter mutavit sententiam de *Tribus Capitulis* vicissim defensis et ut haereticis damnatis.

Gregorius I Magnus (3) (590-604) ex nobili et ditissima familia romana natus (540), litteris profanis et ecclesiasticis eruditus est. Praefectus Urbi ante 573, mox monasticam vitam professus est (575) in monasterio a se exstructo in suis aedibus. Diaconus Urbis factus (577), missus est Constantinopolim (579-585) ut legatione pontificia fungeretur. Pontifex electus (590), "admirabilia dixit, fecit, scripsit, de-

---

(1) Leo, *Ep.*, 14, 1.

(2)

Symmachus	**(498-514)**	**Agapetus I**	**(535-536)**
(Laurentius)	**(498-505)**	**Silverius**	**(536-537)**
Hormisdas	**(514-523)**	**Vigilius**	**(537-555)**
Joannes I	**(523-526)**	**Pelagius I**	**(556-561)**
Felix III	**(526-530)**	**Joannes III**	**(561-574)**
Bonifacius II	**(530-532)**	**Benedictus I**	**(575-579)**
(Dioscorus)	**(530)**	**Pelagius II**	**(579-590)**
Joannes II	**(533-535)**	**Gregorius I**	**(590-604)**

(3) Clausier, *Saint Grégoire le Grand*, Paris, 1891.

crevit, praesertim infirma semper et aegra valetudine" (1). Conatus est res componere cum Longobardis, oscitante debili exarcha. Patrimonium Petri, seu possessiones Ecclesiae, optime constituit et administravit, cujus reditus amplissimos (7 000 000 lib.) consumebat in operibus innumeris charitatis. Obstitit fortiter ambitioni Patriarchae Constantinopolitani. Missionarios ad Anglo-Saxones misit. Vitam christianam, disciplinam ecclesiasticam, vitam monasticam in tota Ecclesia instauravit. Nonnihil mutavit et perfecit in liturgia et cantus ecclesiasticus jam a saeculo nono gregorianus vocatur. Plura scripsit: *Pastorale, Dialogos, Moralia, Homilias, Epistolas* **848.**

143. SEPTIMUM SAECULUM (2). Nullum vere magnum nomen memorari potest in septimo saeculo.

Agatho (678-681) scripsit celeberrimam ***Epistolam*** dogmaticam, quam suscipientes patres Concilii VI (680) clamaverunt: "Per Agathonem Petrus loquebatur".

Honorius I (625-638) satis imprudenter locutus est et egit in controversia monothelismi (3).

144. PRIMATUS ROMANUS AB OMNIBUS AGNITUS. Inimici Ecclesiae ponunt originem (usurpationem) primatus romani sub Siricio (Langen), sub Damaso (Rade), sub Leone I (Gregorovius), sub Bonifacio III (607). (Centuriatores, qui comparant eum cum Muhammed ejus coaevo). Re autem vera, exstitit primatus romanus a tempore Petri, sed, crescente Ecclesia et mutatis circumstantiis, plenitudo potestatis sedis romanae manifestius in dies apparuit.

Tria veluti stadia distinguere valemus: controversiam arianam, tempora Leonis I, et tempora Gregorii Magni, ita ut

(1) *Brev. Rom.*, 12 mart.

(2)

Sabinianus	(604-606)	Vitalianus	(657-672)
Bonifacius III	(607)	Adeodatus	(672-676)
Bonifacius IV	(608-615)	Donus	(676-678)
Deusdedit	(615-618)	Agatho	(678-681)
Bonifacius V	(619-625)	Leo II	(682-683)
Honorius I	(615-638)	Benedictus II	(684-685)
Severinus	(640)	Joannes V	(685-686)
Joannes IV	(640-642)	Conon	(686-687)
Theodorus I	(642-649)	(Theodorus)	(687)
Martinus I	(649-653)	(Paschalis)	(687-692)
Eugenius I	(654-657)	Sergius I	(687-701)

(3) Cf. infra p. 159 s.

successive appareat sedis apostolicae suprema potestas judiciaria. doctrinalis, administrativa.

Omnes agnoscunt momentum controversiae arianae in historia primatus romani. Etsi error Arii Orientem praesertim perturbavit, omnium tamen oculi conversi sunt ad episcopum romanum. Legati romani praefuerunt concilio Nicaeno (325). Tam haeretici quam Athanasius postea appellaverunt ad Julium, tanquam ad supremum judicem causarum. Hoc autem jus appellandi ad episcopum romanum agnoverunt et confirmarunt patres concilii Sardicensis (343), ut "sancti Petri Apostoli memoriam honorarent" (1). Immo declarant "congruentissimum videri, si ad caput, id est ad Petri Apostoli sedem, de singulis quibusque provinciis Domini referant sacerdotes" (2). Adhuc manifestius apparuerunt jura primatus sub valenti administratione Damasi, qui ultima vestigia arianae haeresis expurgavit (3). Ea jura summi viri coaevi certatim asserunt. "Beatitudini tuae, scribit Hieronymus ad Damasum, id est cathedrae Petri, communione consocior" (4). "Ubi Petrus, ait Ambrosius, ibi Ecclesia" (5). Nec aliter loquitur Basilius(6), praecipuus episcopus Orientis, et ipse imperator Theodosius: "In tali volumus religione versari, quam divinum Petrum apostolum tradidisse Romanis religio usque ad nunc ab ipso insinuata declarat quamque pontificem Damasum sequi claret" (7). Tandem concilium Constantinopolitanum (381) agnovit saltem implicite primatum sedis Romanae (8).

Quamvis non desint exempla sollicitudinis episcoporum romanorum pro universali Ecclesia ante Leonem Magnum, nullus conscientia officii dignitatisque supremae aeque frequens. tanta diligentia et fortitudine, licet in angustis temporibus, jura sedis apostolicae tuitus est. Appellante Flaviano episcopo Constantinopolitano his verbis notandis: "Oportuit uti apostolica appellatione ad Vestram Sanctitatem, ut pro-

(1) Can. 3. Cf. can. 4.
(2) *Ep. syn. ad Julium*, Mansi, 3, 39.
(3) In synodis romanis, causis ad ipsum delatis.
(4) Hier., *Ep.* 15, 2.
(5) Ambr., *Enar.*, 40, 30.
(6) Cf. *Ep.* 70 ad Damasum.
(7) *Cod Theod.*, 16, 1, 2, anno 380.
(8) Can. 3, Vid. infra p. 124.

grediens ad Orientem auxilium ferret periclitanti piae sanctorum patrum fidei quam sudore ultionis tradiderunt" (1), respondit celeberrima *Epistola* in qua definivit fidem catholicam de distinctione naturarum in persona Christi. Hanc epistolam patres concilii Chalcedonensis suam fecerunt: "Petrus per Leonem ita locutus est". Ejus supremam auctoritatem non minus solemniter agnoverunt Placidia et Valentinianus III. "Cum igitur Sedis Apostolicae primatum sancti Petri meritum, qui princeps est episcopalis coronae, et Romanae dignitas civitatis, sacrae etiam synodi firmasset auctoritas, ne quid praeter auctoritatem sedis istius illicita praesumptio attemptare nitatur (tunc enim Ecclesiarum pax ubique servabitur, si rectorem suum agnoscat universitas)....(2).

Adhuc longe difficiliora erant tempora quando Gregorius ascendit sedem Petri. Justinianus mortuus erat (565) et imperium, neglecto Occidente, Graecum fiebat. Longobardi perterrebant Italiam (a 568). Res ubique penitus commutabantur. Ejus assidua et universalis sollicitudo in omnibus materiis, ab electione episcoporum et relationibus cum principibus usque ad minora puncta disciplinae, non minus profuit Sedi Apostolicae quam singulis ecclesiis. Et magis ac magis apparuit plenitudo potestatis episcopi romani et necessitas ejus supremae directionis, ut unitas societatis christianae servetur et ejus finis, salus animarum, promoveatur.

145. ELECTIO SUMMI PONTIFICIS. Episcopus romanus, sicut alii episcopi, a clero, concurrente populo eligebatur. Pace reddita Ecclesiae et crescente numero fidelium, jus populi devolutum est ad nobiliores, magistratus, senatum, etiam ad legatos Imperatoris. Propter seditiones ortas occasione electionum, debuerunt quidam pontifices recurrere ad principem ut jus suum agnosceretur et vindicaretur. Ita Damasus (366) et Symmachus (499). Quod autem factum erat honoris aut necessitatis causa, voluit Justinianus esse legem, reservavitque Imperatori jus confirmandi electionem Summi Pontificis, pecunia fisco soluta (560). Hunc abusum toleraverunt Pontifices usque ad 684.

Felix IV (526-530) elegit sibi successorem, Bonifacium

---

(1) *Ep.* ad Leon. an. 449, contra *latrocinium Ephesinum.*
(2) Valentiniani III *Novella,* 8 jul. 445.

II (530-532), qui et ipse volebat sibi constituere successorem, immo posse ita in futurum fieri decrevit. Contradicente autem clero decretum revocavit.

146. **ADMINISTRATIO PONTIFICIA.** *Ecclesia Romana.* Episcopus romanus adjuvabatur a numeroso clero. Jam a tempore Evaristi (97-105?), vel saltem Dionysii (259-268), aut certe Marcelli (308-309), qui numerum 25 determinavit, presbyteri romani adscribebantur variis ecclesiis seu titulis, inter quas eminebant veteres basilicae cemeteriales S. Petri, S. Pauli, S. Laurentii, et serius S. Mariae Majoris (1). Presbyteri titulares, quibus plures sodales jungebantur, jam a saeculo V exeunte, *cardinales* seu praecipui vocabantur. Curam animarum habebant et administrabant sacramenta.

Distinguebatur praeterea clerus regionarius. Divisio Urbis in septem regiones potest cum *Libro Pontificali* Fabiano (236-250) attribui. His regionibus praeerant septem diaconi *Ecclesiae Romanae.* Mox et ipsi vocati sunt *cardinales.* Numerus eorum paululum crevit. Gregorius Magnus (590-604) 18 habuit diaconos, et ita fuit a saec. nono ad decimum sextum. Prior diaconorum cardinalium bona Ecclesiae procurabat. Diaconis prout necessitas ferebat alii clerici juncti sunt. Regionarii immediate Pontificem adjuvabant, ei adstabant in solemnioribus caeremoniis, curam pauperum et piorum operum habebant, bona administrabant. Serius, saeculo septimo, diaconiae et ecclesiae diaconales constitutae sunt.

Ecclesia universalis. Negotia quae ad Ecclesiam universalem spectabant, graviora saltem, generatim agebantur in synodis, et Pontifex actionem suam exercebat extra Urbem sive personaliter, sive decretalibus missis, sive per legatos et apocrisiarios.

Synodi Romanae. Quando causae majores deferebantur ad Sedem Apostolicam usuvenit ut Pontifex in consilium vocaret presbyteros titulares Urbis, diaconos Ecclesiae ac episcopos viciniores (2), necnon et alios episcopos, si forte essent,

(1) *Lib. Pont.*, ed. Duchesne, Paris, 1892, t. 1, pp. 126, 157, 164.

(2) Propterea vocati sunt etiam *cardinales.*

Romae degentes. Synodorum harum aliae videntur fuisse solemniores, aliae minores et frequentiores. Locus in quo habebantur isti conventus vocabatur consistorium, jam a saec. sexto (1). Res praeparabantur a notariis et documenta sedulo asservabantur in archivo.

Quandoque saltem utebantur Pontifices ministro ab epistolis qui nomine ipsius interrogantibus responderet. Hieronymus hoc munere functus est pro Damaso (2).

Quum necessarium erat, Pontifices discedere ab Urbe ad tempus non timebant: videmus Innocentium I Ravennae (408), Symmachum etiam Ravennae (499), Joannem I Ravennae et Constantinopoli (525), Vigilium Constantinopoli (545), etc. Hoc autem regulariter non fiebat, sed legati mittebantur.

Decretales. Decretales epistolae sunt responsiones decretoriae missae a Summis Pontificibus de causis majoribus quae ad ipsos deferebantur. Omnium antiquissima est decretalis Siricii ad Himerium (385), si excipiatur forsan *Decretum de libris recipiendis* (382?), vel *Canones synodi Romanae ad Gallos episcopos* (*Damasi*) (3).

Quum decretales simul ac canones conciliorum constituerent normam juris, collectiones necessariae erant et statim factae sunt. Leo Magnus videtur alludere ad talem collectionem (443), quae circa finem quinti saeculi poterat continere 8 vel 10 decretales. Collectio Dionysii Exigui († ante 544) habet decretales Siricii, Innocentii I, Zozimi, Bonifacii I, Caelestini I, Leonis I, Gelasii I, Anastasii II. In collectione *Hispana* (ab ignoto facta, in Hispania, c. 640), inveniuntur 104 decretales a Damaso ad Gregorium I († 604).

Apocrisiari. Apocrisiarii Pontificii (*Apokrisiarios, responsalis,* nuntius qui refert responsum) erant legati perpetui missi a Summo Pontifice ad Imperatorem Constantinopolitanum. Procuratores ejus erant, sed res praesertim graviores dirimere ultime non poterant. Diaconus Ecclesiae communiter mittebatur.

---

(1) Cf. Greg., *Hom.* 17 *in Evang., habita ad episcopos in consistorio lateranensi.*

(2) Hieron., *Ep.*, 130, 10.

(3) Babut, *La plus ancienne décrétale*, Paris, 1904.

Pontifices legationes miserunt ad imperatores a tempore Constantini, sed Leo I primus legatum suum fecit Julianum episcopum Cossensem post 450. Legatio autem perpetua non fuit nisi a tempore Justiniani usque ad iconoclastas (535-715) et partim cessavit in controversia monothelismi (616-680). Praecipui apocrisiarii fuerunt Vigilius (535), Pelagius (536, 538-545), Gregorius (579-585), Martinus (ante 649), qui omnes ascenderunt sedem Petri. Habitabant autem in domo Placidiana, a Galla Placidia aedificata. Fuerunt apocrisiarii etiam Ravennae. Patriarchae suos apocrisiarios habebant. Pontifices, occasione data, mittebant legatos, cleri tamen inferioris, in varias Ecclesiae partes.

Praeterea duo vicarii apostolici, Thessalonicae et Arelate, auctoritatem exercebant in nomine Pontificis in episcopos suae provinciae. Primus vicariatus constitutus est a Siricio (384-399), et alter a Zozimo (417-418), atque perstiterunt usque ad initia saeculi VII.

147. **PATRIMONIUM PETRI.** Hoc nomine vocantur bona Ecclesiae. Post pacem redditam, propter imperatorum et imprimis fidelium divitum munificam gratitudinem, Ecclesia cito possedit magna bona: praedia, silvas, metalla. Tempore Gregorii Magni († 604) Papa erat omnium maximus possessor fundorum (1). Patrimonia erant in Italia, Africa, Gallia, Dalmatia, Illyria, et praesertim in Sicilia.

Patrimonia dividebantur in massas, et massae in fundos. Regebat patrimonium rector, cum defensoribus. Colebant fundos coloni et servi. Administratio horum bonorum cognoscitur praesertim epistolis Gregorii Magni, et describi potest his verbis ejus: "Nos sacculum Ecclesiae ex lucris turpibus nolumus inquinari" (2).

Non parva auctoritas civilis inde Pontifici accrevit, speciatim in ipsa civitate Romana, quae totaliter, angustiis illis temporibus, pendebat ab ipso quoad protectionem et annonam.

---

(1) Circ. 4000 kilom. quadr.
(2) Greg., *Reg.*, 1, 44.

§ 2. Episcopi (1).

148. PATRIARCHAE. Concilium Nicaenum alludit ad dignitatem specialem trium sedium: Romanae, Alexandrinae et Antiochenae. Hujus honoris ratio assignatur in decreto Gelasii (495) nec alia esse videtur: "Est ergo prima Apostoli Petri sedes, Romana Ecclesia... Secunda autem sedes apud Alexandriam beati Petri nomine a Marco consecrata est... Tertia vero sedes apud Antiochiam ejusdem beatissimi Petri Apostoli habetur honorabilis" (2).

Hanc dignitatem episcopus Constantinopolitanus, et imperatores (3) voluerunt sedi imperiali obtinere. Haec fuit una e multis causis dissensionis inter Orientem et Occidentem. Primo, in concilio Constantinopolitano (381) decretum est Constantinopolitanum episcopum habere primatum (*presbeia*) honoris post episcopum romanum, eo quod ipsa sit nova Roma (4). Hoc autem magis explicite expressit concilium Chalcedonense (451) in canone 28, quem tamen non approbaverunt legati Pontificis, quemque Leo I "per auctoritatem beati Petri apostoli generali prorsus definitione cassavit" (5). De facto tamen episcopus Constantinopolitanus jurisdictionem obtinuit supra provinciam Thraciae, et secundus locus ipsi serius concessus est (in conc. Lateran. IV, 1215) (6).

Episcopus Jerosolymitanus primatum quemdam honoris sine jurisdictione in concilio Nicaeno acceperat (7). Hoc autem satis non fuit pro ambitioso Juvenali (422-458), qui jurisdictionem metropolitanam primo usurpavit et deinde abusive obtinuit a Theodosio II (449), contra jura metropolitae Caesareensis et patriarchae Antiocheni. Hoc autem ratum habuit concilium Chalcedonense (451) (8). In vanum Leo I "cassavit" quod actum erat contra concilium Nicaenum, episcopus Jerosolymitanus patriarcha mansit.

(1) Lesne, *La hiérarchie épiscopale*, Paris, 1905.
(2) Denz.-Bann., 163.
(3) Juxta adagium: *Imperium sine patriarcha non stat.*
(4) Can., 3.
(5) Leo M., *Eph.*, 104.
(6) Cap., 5.
(7) Can., 7.
(8) Sess., 7.

Quinque igitur fuerunt, et adhuc sunt, patriarchae. Titulus patriarchae, honoris causa, datus est quibusdam episcopis. Talis est titulus patriarchae Venetiani, translatus a sede Gradensi. Antiquitus patriarchae vocati sunt etiam exarchae.

149. METROPOLITAE (1) In Oriente ubi christiani plures, et major stabilitas politica, erat in singulis civitatibus episcopus, qui auctoritati episcopi metropolis provinciae (civilis) subjiciebatur. Concilium Nicaenum, et expressius concilium Chalcedonense (2), hanc oeconomiam confirmarunt.

In Occidente ubi dioeceses ampliores, fideles pauciores, perturbationes politicae magnae, coordinatio metropolitana dioeceseon non nisi sero et lente effecta est. In Africa, jam a tertio saeculo, aderat primas Carthagine; praeterea dioeceses conjungebantur in provincias, quibus praeerat senior episcopus. Hic status duravit usque ad invasionem Vandalorum. In Italia inferiore, in qua dioeceses multae et parvae, una tantum erat provincia, nempe Romana. In superiore Italia, primo non fuit nisi provincia Mediolanensis. Circa 400, formata est provincia Aquileiensis, et serius, quando Ravenna facta est sedes imperii, facta est etiam sedes metropolitana (suffraganea tamen Romae). His debet annumerari Salona in Dalmatia, Calaris forsan in Sardinia, et vicariatus Illyrici. In Britannia nulla videtur fuisse ordinatio dioecesana ante missiones romanas Augustini (597) et Theodori (668). Ecclesiae celticae in Hibernia et Europa ignorabant hanc ordinationem, sed communiter subjiciebantur monasterio, cujus abbas non erat semper episcopus. Supra commemoravimus institutionem vicariatus Arelatensis. In Hispania, Zeno Hispalensis factus est vicarius apostolicus a Simplicio (480), et Leander a Gregorio Magno. Synodo Toletanae II (589) adfuerunt 26 episcopi et 5 metropolitae.

Pallium. Pallium erat fascia lanea cruce ornata qua utebantur episcopi romani tanquam insigni dignitatis et auctoritatis suae in caeremoniis liturgicis. Circumdabat collum et pendebat ex utraque parte humeri sinistri. Ut videtur, non est nisi pallium philosophorum abbreviatum. Forma haec

---

(1) Cf. Duchesne, *Origines du culte chrétien*, Paris, 1898, §3.
(2) Can., 12. Subordinatio hierarchica optime describitur in Can., 9 et 17.

servata est usque ad saeculum IX. Jura metropolitae praecipue duo erant: ordinatio (consecratio) episcoporum provinciae et convocatio synodi.

Usus pallii primum juxta documenta datus est a Symmacho (498-514) Caesario Arelatensi. In Oriente vero deferebatur ab omnibus episcopis, sed in Occidente factum est insignum potestatis metropolitanae. Concessio palli fuit medium practicum confirmandae et constituendae subordinationis erga Sedem Romanam.

150. ADMINISTRATIO EPISCOPALIS. Episcopus adjuvabatur in Oriente a chorepiscopis, qui auctoritatem delegatam exercebant in agris et quandoque vocabantur ad synodos. Etiam post prohibitionem concilii Laodiceni (343 ad 381) (1), inveniuntur chorepiscopi usque ad saeculum VIII.

In Occidente vix sermo est de chorepiscopis ante saeculum VIII, sed inveniuntur quandoque vicarii episcopi, episcopi coadjutores, auxiliares episcopi. Augustinus fuit coadjutor Valerii (2).

Tum in Oriente, tum in Occidente, prope episcopum, saltem in praecipuis ecclesiis, erant plures diaconi, generatim septem, qui immediate ipsum adjuvabant. Inter eos jam tribus primis saeculis eminebat diaconus episcopi. A quarto saeculo, et a quinto communiter, vocatur archidiaconus (3). Initio non videtur fuisse nisi oeconomus, sed in Occidente, ejus potestas paulatim crevit usque ad saeculum VIII, ita ut praeter curam bonorum temporalium, etiam auctoritatem obtineret supra clerum inferiorem, supra ordinandos, visitaret ecclesias, de rebus fidei judicaret.

Episcopus adjuvabatur insuper a presbyterio, seu corpore presbyterorum. Hi sacerdotes, ecclesiae cathedrali dicati, et communiter commensales episcopi, post institutionem parochiarum, vocati sunt canonici (ΕΚ ΤΟΥ ΚΑΝΟΝΟΣ, *de mensa; canonicus,* in Gallia, saec. VI). Mox regulam propriam, non

(1) Can., 57.
(2) Possidius, *Vit. Aug.*, 8.
(3) Conc. Ephes. (431).—Cf. Opt., *De schis. Don.*, 1, 16.

tamen monasticam habuerunt. Gradatim praeeminentiam habuerunt et formaverunt consilium episcopi.

Synodi, seu conventus episcoporum, frequentes erant. Res graves non tantum fidei, sed etiam disciplinares et judiciariae, generatim tractabantur in synodis, et eorum decisiones quamdam auctoritatem universalem obtinebant.

---

§ 3. Alii clerici.

151. PAROCHI. Primae communitates christianae fundatae sunt in urbibus et iis praeerat episcopus, quem adjuvabant, ut diximus, presbyteri et diaconi secundum numerum fidelium. Fideles ad ejus ecclesiam conveniebant sive ex ipsa civitate, sive ex agris vicinis, et ministrabantur a clero.

Parochiae rurales. Crescente vero numero fidelium, ruri viventium, necessarium fuit ipsis concedere aliquem qui ipsis ministraret. In Oriente, minister ille fuit chorepiscopus, id est episcopus vici, ab episcopo urbis deputatus et ipsi subjectus quoad omnia. Mox ejus auctoritas limitata est: ipsi vetitum est conferre ordines (1), et concilium Sardicense vetuit ne constitueretur episcopus in parvis vicis in quibus sufficeret sacerdos. Ideo concilium Chalcedonense (451) loquitur de "parochiis ruralibus" (2). In Occidente, minister primum constitutus in agris videtur fuisse diaconus. Concilium Eliberitanum (c. 300) loquitur de "diacono regente plebem" (3). Mox sacerdos constitutus est in ecclesiis ruralibus, quae tamen pendebant quoad omnia, administrationem et sustentationem, ab ecclesia principali (4). Nonnisi post saeculum VII factae sunt independentes. Nonnunquam aliae ecclesiae vel oratoria aedificata sunt supra tumulum vel reliquias martyris (*martyrium*) (5), vel etiam

---

(1) Conc. Antioch. (341), Can. 10.
(2) Can. 17.
(3) Can. 77.
(4) Titulus *Parochiensis presbyter* invenitur prima vice in epistola Montani, praesidis synodi Toletanae II (537).
(5) Conc. Chalc., can. 6.

pietate privata in praedio divitum. Sacerdos, qui his forsan praeerat, subjiciebatur presbytero ecclesiae parochialis, qui propterea ***archipresbyter*** vocabatur.

Ministrabant etiam fidelibus vicinis numerosa monasteria, praesertim in ecclesiis celticis. Nulla videtur fuisse delimitatio territorialis certa. Constitutio parochialium ecclesiarum in Gallia debetur maxime sancto Martino Turonensi († 397) (1).

Parochiae urbanae. Numerus fidelium fuit etiam ratio cur aedificatae sunt in majoribus urbibus ecclesiae secundariae, quibus praeficeretur presbyter. Hoc videtur aliquo modo exstitisse Alexandriae jam ab initio saeculi IV. Supra dictum est (2), 25 ecclesias titulares fuisse constitutas Romae, cum privilegio administrandi baptismum et paenitentiam et sepeliendi mortuos. Generatim, quia magnae civitates non erant, parochiae urbanae sero institutae sunt, et in pluribus locis, quaedam, ut administratio baptismi, reservabantur ecclesiae cathedrali. Vix ulla erat delimitatio territorialis.

Parochus eligebatur ab episcopo a quo totaliter pendebat. Sed ecclesia concessit iis qui aedificaverant ecclesiam et eam possidebant jus designandi sacerdotem qui illi ministraret. Hoc vocatum est *jus patronatus.*

152. **DIACONI. CAETERI CLERICI.** Simul ac constituebantur ecclesiae parochiales, minuebantur munera diaconorum, et mox non inventi sunt nisi in praecipuis ecclesiis. Romae, anno 520, 100 numerabantur diaconi, et 150 Constantinopoli in concilio *in Trullo* (692). Gregorius Magnus prohibuit ne aliud cantarent diaconi in ecclesia praeter Evangelium. In Occidente saltem mox non fuit nisi archidiaconus.

Soli lectores, inter ministros inferiores, videntur perseveravisse ultra saeculum IV, tanquam ministri distincti, et a saeculo V ordines minores non sunt nisi gradus ad superiores, saltem in Occidente.

Constantinopoli, tempore Justiniani (527-565), in "magna ecclesia", erant saltem 100 lectores. Initio VII saeculi, cantores enumerabantur inter clericos, in Oriente.

---

(1) Imbart de la Tour, *Les paroisses rurales du IV au XI siècle*, Paris, 1900.
(2) Pag. 121.

153. TITULUS ORDINATIONIS. Ex can. 6 concilii Chalcedonensis (451) discimus quod prohibebantur ordinationes ad qualemcumque ordinem sine destinatione ad aliquam "ecclesiam urbis vel vici, vel ad martyrium, vel ad monasterium." Hoc vocatum est titulus ordinationis.

154. INSTITUTIO CLERICORUM. SCHOLAE PRESBYTERALES. Sanctus Augustinus videtur primus instituisse specialem domum in qua praepararentur rectores ecclesiarum. "Volui habere, ait, in ista domo episcopi mecum monasterium clericorum" (1). Antiquae scholae Alexandrina et Antiochena non erant pro clericis instituendis, sed pro catechumenis. In concilio Vasensi (in Gallia) (529), praescriptum est omnibus sacerdotibus secum assumere "juniores lectores quantoscumque sine uxoribus habuerint", et eos docere legem Domini, et "parare psalmos" (i. e., psalmodiam). Patres insuper addiderunt hanc esse consuetudinem in Italia (2). In concilio Toletano II (527) statutum est "ut mox cum detonsi, vel ministerio (e)lectorum contraditi fuerint, in domo Ecclesiae, sub episcopali praesentia, a praeposito sibi debeant erudiri" (3).

155. CAELIBATUS. Obligatio caelibatus pro clericis majoribus non videtur fuisse imposita ante saeculum IV. Consuetudo sane antiquior erat. Prima lex lata est in decretali Siricii ad Himerium (386) (4), et mox extensa ad Africam et renovata in decretalibus Innocentii (404, 405) et Leonis I (459). Hic autem ultimus "nec subdiaconis quidem connubium carnale concedit" (5). A VI saec. nulla fuit haesitatio. Clericis majoribus non permittebatur usus matrimonii, etiam si cohabitaret uxor, (episcopissa, sacerdotissa, diaconissa). Licet vigilantia, etiam nocturna, caeterorum clericorum praescriberetur a conciliis, quandoque erant lapsus.

(1) Aug., *Serm.*, 355. Cf. *Serm.*, 354.
(2) Praesidebat concilio Caesarius Arelatensis.
(3) Can. 1.
(4) Cf. Conc. Eliber. (c. 300), can. 33.
(5) Leo M., *Epist.* ad Anast. Thess.

Adjuvabantur Pontifices Romani exemplo et scriptis magnorum doctorum Ambrosii, Hieronymi, Augustini (1).

156. SUSTENTATIO CLERI. ADMINISTRATIO BONORUM. Oblationes spontaneae fidelium generatim sufficiebant sustentationi clericorum. Plures tamen, in Gallia et Hispania, labore manuum victum quaerebant. Mercatura prohibebatur.

Reditus bonorum ecclesiasticorum ex usu romano dividebantur in quatuor portiones (2), inter episcopum, clerum pauperes et ipsam ecclesiam. Synodus Tarraconensis (516) (3), tertiam partem omnium, Aurelianensis (511) (4) vero tertiam partem oblationum in parochialibus, mediam autem in cathedrali ecclesia factarum, tribuebat.

Administratio bonorum semper fuit in manibus episcopi, sed concilium Chalcedonense (451) decrevit ut episcopus adjuvaretur ab oeconomo, ex suo clero electo, qui bona administraret juxta mentem episcopi (5). Haec disciplina duravit usque ad IX saeculum.

§ 4. Monachi.

157. DISTINCTIO A LAICIS. Monachi non pertinent ad hierarchiam ecclesiasticam. Ecclesia tamen eos semper distinxit a meris laicis tanquam "illustriorem portionem gregis Christi" (6). Quum autem, post pacem, perfecta fuit institutio monastica et crevit numerus monachorum, non solum episcopi et sacerdotes electi sunt inter monachos aut monachi facti sunt clerici, sed pars munerum hierarchiae, praesertim quoad educationem puerorum et rudium et curam pauperum, ipsis credita est, ita ut monachi, viri aut mulieres, etsi de hierarchia non sunt, non tamen confunderentur cum laicis, et potius ex parte docentis quam discentis Ecclesiae se tenerent.

158. ORIGO. Vita monastica non fuit instituta positive a Christo, sed principia ex quibus oritura erat ab ipso

(1) "Ministerium nullo conjugali coitu violandum cognoscitis." Ambrosius, *De officiis*, 1, 50.
(2) Cf. *Epist.* Gelasii, an. 494.
(3) Can. 8.
(4) Can. 14; cf. can. 15.
(5) Can. 26.
(6) Cypr., *De habitu virg.*; cf. Hippol., *Fragm. in Prov.*

posita sunt in Evangelio. Non enim est nisi forma perfecta vitae christianae, quae spontanee et lento gradu, dirigente et sanciente hierarchia, elatorata est, ab ipsis initiis Ecclesiae usque ad sanctum Benedictum (+ 543). Ridiculum est quaerere originem monachorum in paganismo aut in judaismo, ubi nil simile prorsus invenitur.

159. ORIENTALES. ANACHORETAE. ANTONIUS (251-356). Primum stadium post vitam asceticam in mundo (1), fuit vita solitaria longe a tumultu civitatis in deserto. Jam Paulus Thebanus praebuerat exemplum, sed Antonius fuit verus magister vitae anachoreticae. Multos habuit discipulos et Thebaidem replevit. Discipuli Antonii vivebant in cellis separatis, rigidam agentes paenitentiam juxta praecepta et exempla magistri, nulla vero regula proprie dicta adstricti. Hilarion (290-371), Antonii discipulus, vitam anachoreticam in Palaestinam introduxit. Fuerunt etiam solitarii in Nitria, prope Scete. Antonii soror fundavit monasteria mulierum.

160. COENOBITAE (2). PACHOMIUS (+ 346). Pachomius, cum adhuc paganus cognovisset vitam monachorum, eos imitari sibi proposuit. Paulatim ad novam monasticae vitae formam instituendam inductus est. Cum enim videret omnes non posse anachoreticam agere vitam, mitiorem excogitavit vitae perfectae formam, qua omnes, communi regulae oboedientes, diviso inter se labore, ab omnibus adjuvarentur: vitam communem monachorum instituit et prima fundamenta regulae posuit. Primum monasterium fundavit Tabennis in Alta Thebaide c. 302. Mox tantum creverunt discipuli ut 9 monasteria exstarent cum 5000 monachis, quando mortuus est (346). Praeerat etiam duobus monasteriis mulierum.

Sinuthius (SHnudi) in monasterio Athripensi reformationem quamdam rigidiorem introduxit et promissionem scriptam oboedientiae a monachis suis exegit: haec est antiquior forma voti oboedientiae. Sinuthius mortuus est an 452, 118 annos natus.

---

(1) Cf. sup. p. 69.
(2) Cf. art. *Cénobitisme* in *Dict. d'Arch.*

161. DIFFUSIO. Ex Aegypto vita monastica diffusa est in totum Orientem, in Syriam, in Asiam Minorem, in Mesopotamiam.

Basilius (379) instauravit eam in Cappadocia, postquam visisset monasteria Aegypti, Syriae, Mesopotamiae, sapientissimamque regulam suis proposuit. Minora erant ejus monasteria, et magna cura eligebantur monachi. Prudenter miscebatur oratio, lectio, labor, paenitentia. Oboedientia praeponebatur omnibus. Videntur Basiliani fecisse tria vota religionis.

Nec propterea evanuerant anachoretae et eremitae, qui videntur, in Oriente, semper majorem excitavisse admirationem. Nova genera paenitentiae quotidie excogitabant. Simeon stylites († 459) annos 37 vixit in summitate columnae, eumque multi venerati et imitati sunt.

Quum autem vita perfecta relinqueretur fere zelo individuorum, non deerant defectus et abusus. Improbant praesertim antiqui monachos superbiae aut cupiditatis causa vagantes. Quum essent plerumque ignari, quandoque inciderunt in haeresim, et nonnunquam partem tumultuosam habuerunt in controversiis theologicis.

162. OCCIDENTALES (1). *Roma et Italia.* Vita monastica videtur fuisse ignota Romae antequam adveniret Athanasius cum duobus monachis aegyptiacis (339). Maximam excitaverunt admirationem et statim habuerunt imitatores. Vitam monasticam promovit Hieronymus dum Romae degit (382-385) et postea epistolis suis. Ambrosius monasterium instituit in ecclesia sua Mediolanensi (episc. 374-397). A saec. IV exeunte, nonobstantibus calamitatibus, multiplicata sunt monasteria in tota Italia.

Gallia. Sanctus Martinus fundavit primum monasterium in Gallia c. 360, Locoteiaci. Plures habuit discipulos, (2000?, quando mortuus est, an. 397), sed erant potius ascetae quam monachi. Sanctus Honoratus fundavit celeberrimum Lirinense (410), et Cassianus paulo post c. 415 monasterium Sancti-Victoris Massiliae. Caesarius, episcopus Arelatensis (502-542), instauravit disciplinam monasticam in ecclesia

(1) Montalembert, *Histoire des moines d'Occident*, 7 vol., 5 éd., Paris, 1873-77.

sua. Exinde instituda sunt monasteria in tota Gallia, in quibus plus minusve consuetudines et traditiones horum monasteriorum sequebantur.

Monasteria Celtica. Jam ab initio saec. V erant monasteria in Britannia, quae partim manserunt post invasionem Saxonum (450). A medio saec. VI maxime floruit institutio monastica tum in Britannia, tum praesertim in Hibernia (1). Non una erat regula in omnibus monasteriis, sed regula Columbani, id est consuetudo ejus monasterii, servabatur communiter in monasteriis celticis Hiberniae, Britanniae Majoris et Minoris, et aliis fundatis a monachis Hibernicis in tota Europa peregrinantibus. Eorum paenitentiae maximae, orationes longissimae, peregrinationes multae.

Hispania et Africa. Inveniuntur monasteria in Hispania a fine saec. IV. Floruit autem vita monastica a conversione Visigothorum (587).

Anno 385, Augustinus nunquam audierat de monachis Aegyptis. Ipse autem domum suam episcopalem fecit monasterium clericorum. Anno 423, sapientissima consilia monialibus dedit in epistola sua 211, quae communiter vocatur regula ejus monastica.

163. BENEDICTUS (480-543). EJUS REGULA (2). Benedictus adhuc juvenis vitam anachoreticam duxit prope Sublacum, moxque praefectus est monasterio vicino. Cum autem voluisset instaurare disciplinam inter monachos, expulsus est cum quibusdam discipulis fidelibus. Tum vero fundavit monasterium Montis Cassini (529), ubi "scripsit monachorum regulam, discretione praecipuam, sermone luculentam" (3). Regula benedictina gradatim ubique recepta est ante saec. IX (4).

Regula Benedicti distinguitur moderatione. Digessit Benedictus elementa regulae Pachomii, Basilii, *Collationum* Cassiani, et multa sapienter addidit. Praescribit paupertatem et castitatem et oboedientiam. Imponit novitiatum unius anni et providet stabilitati monachorum.

(1) Cf. sup., p. 111.
(2) Greg., *Dialog.*, 1. 2: Gasquet, *A sketch of the life and mission of S. Benedict*, London, 1895.
(3) Greg., *Dialog.*, 2, 36.
(4) Cf. *Capit.* Caroli Magni an. 811, interr. 11.

CAPUT QUARTUM

DISCIPLINA ECCLESIASTICA

FONTES. Libri liturgici antiquiores. Opera patrum coaevorum. Monumenta archaeologica. Cf. varios articulos *Dict. d'Archéol.* Duchesne, *Origines du culte chrétien*, 3 éd., Paris, 1905.

---

§ 1. Ritus liturgici. Baptismus. Confirmatio.

164. VARII RITUS. Saeculo quarto ineunte, clare delineantur quatuor ritus liturgici diversi: Alexandrinus, Antiochenus, Romanus, Gallicanus. Ritus Alexandrinus in usu erat in patriarchatu Alexandrino. Propter haeresim monophysismi, quae separavit Alexandriam ab Ecclesia, et victorias Arabum (ab an. 630), non superfuit VII saeculo. Transiit ad Coptos et Abyssinos.

Ritus Antiochenus, seu ritus patriarchatus Antiocheni, receptus est Constantinopoli et secutus est fata hujus civitatis. Retinetur cum variis mutationibus a Jacobitis, Maronitis, Chaldaeis, Graecis, et Armenis.

In patriarchatu Romano duplex inveniebatur ritus: Romanus, Romae et in inferiori Italia, et Gallicanus, in reliquo Occidente. Ritus Gallicanus, omnibus fere fatentibus, originem syriacam habet. Duchesne supponit illum fuisse allatum ex Antiochia ab Auxentio episcopo Mediolanensi (355-374) (1). Juxta eumdem auctorem, ritus Romanus vetus connectitur cum ritu Alexandrino. A saec. VI ritus Gallicanus Romano gradatim dat locum. Sed ritus Romanus quasdam additiones gallicanas recepit.

165. CATECHUMENATUS. In mente Ecclesiae, catechumenatus non erat nisi tempus probationis et immediatae praeparationis ad baptismum recipiendum. Jamvero, a IV saec., multi, ex paganismo conversi, ultra hunc gradum non progressi sunt. Quinimmo, inter eos qui ex parentibus chris-

(1) Duchesne, *Origines du culte chrétien*, Paris, 1905, pp. 86-89.

tianis nati erant, invaluit consuetudo differendi baptismum usque ad provectam aetatem vel etiam ad mortem. Basilius erat 27 quando baptizatus est, Gregorius Nazianzenus 28 (pater ejus erat episcopus), Chrysostomus 25, Ambrosius c. 40, Augustinus 33. Orto est nova disciplina de iis qui immediate praeparabantur ad baptismum.

In Oriente, qui immediate praeparabantur ad baptismum vocabantur *phôtizomenoi* (illuminandi). Haec autem praeparatio fiebat in quadragesima. Nomen dandum erat et quidem saltem ante finem 2ae hebdomadae quadragesimae. "Date mihi nomina ut ea ego imprimam", aiebat Gregorius Nyssenus, in sermone *ad eos qui differunt baptisma*. Illuminandis autem fiebant singulis diebus catecheses, in quibus *tradebatur* symbolum. Legebatur primum pars Scripturae et deinde exponebatur secundum ordinem unus articulus symboli. Adhuc exstant *Catecheses* Cyrilli Jerosolymitani (348), quarum tredecim exponunt symbolum. *Reddebatur* symbolum a catechumenis feria IV aut V in hebdomada sancta. Praescribebantur jejunia et frequentes erant exorcismi.

In Africa, *competentes* vocabantur qui nomen dederant ad baptismum recipiendum. Alii erant *audientes*. Audientes autem, seu meri catechumeni, fiebant signatione crucis in fronte et traditione salis benedicti. Augustinus scripsit tractatum *De catechizandis rudibus* ad praeparandos paganos ad hanc primam initiationem. Quovis anni, Paschae vero praesertim tempore, baptizabant. Praeparabantur catechesibus, exorcismis, paenitentiis. Prima *redditio* symboli fiebat tertia hebdomada ante baptismum. Simul *tradebatur Pater,* qui *reddebatur* hebdomada sequenti. Tandem, ipsa die baptismatis, sabbato sancto, *reddebatur* solemniter symbolum coram omni populo.

Romae, candidati baptismi vocabantur *electi*. Siricius (385-398) jubet baptismum administrandum esse "his dumtaxat electis qui ante quadraginta vel eo amplius dies nomen dederint et exorcismis quotidianisque orationibus atque jejuniis fuerint expiati" (1). "De loco eminentiore in conspectu populi fidelis Romae reddi solet" symbolum (2). Tria scruti-

---

(1) *Ep. ad Him.*, 2.
(2) Aug., *Conf.*, 8, 2, 5.

nia fiebant 3a et 4a et 5a dominica quadragesimae, et post ultimum ungebantur aures (*apertio aurium*) et nares et pectus.

In Oriente et in Occidente, fiebant catecheses (*mystagogicae*) neobaptizatis a Paschate ad dominicam in albis (deponendis).

Saec. VI et VII, cum minor factus esset numerus paganorum ad fidem conversorum, et exstirparetur abusus differendi baptismum, paulatim inutilis evadit catechesis quadragesimalis. Jam nondum adultis, sed pueris, catechesis facta est et catechismus vocata est.

166. **RITUS BAPTISMALIS.** Ubique baptizabant infusione aquae in caput, in casu necessitatis, sed ritus ordinarius solemnis baptismi erat triplex immersio in aquam. "Tribus demersionibus ac totidem invocationibus magnum baptismatis mysterium peragitur", scribebat Basilius (1). Ubique etiam triplex erat interrogatio de fide profitenda, nempe de tribus partibus symboli, sive summatim, ut Jerosolymis, sive plene, ut in Africa. Generaliter, ut videtur, alternabantur interrogationes et immersiones. Circa saec. VIII, in ritu romano, praescriptum est "baptizare sub trina immersione, tantum sanctum Trinitatem semel invocantes, ita dicendo: *Baptizo te in nomine Patris*, et mergat semel, *et Filii*, et mergat secundo, *et Spiritus Sancti*, et mergat tertio."

Formula qua utebantur Graeci a V saec. est: *Baptizatur N. in nomen Patris*.... Alexandrini et Latini vero dicebant: *Baptizo te*... Ante V saec. tacent documenta de formula. Nonnulli putant aliam non fuisse formulam ac ipsam invocationem Trinitatis quae continebatur in interrogationibus et in professione fidei. Videtur etiam alicubi formulam ter repetitam esse. Hujus consuetudinis vestigium remanet in formula coptorum: "In prima mersione: *Ego te baptizo in nomine Patris, Amen;* in secunda: *Ego te baptizo in nomine Filii. Amen;* in tertia: *Ego te baptizo in nomine Spiritus Sancti. Amen.*"

167. **BAPTISTERIUM.** Quando in consuetudinem venit baptizare in vigilia Paschae tantum, vel Pentecostes,

(1) Bas., *De Spir. S.*, 15. 35.

adultos numero plurimos, necessarium fuit aptum parare locum, ubi caeremoniae liturgicae evolvi possent, ubi aqua commode posset afferri, calefieri, etc. Id autem fieri non poterat in ipsa ecclesia, propter exorcismos faciendos, ideoque prope ecclesiam aedificatum est baptisterium. Baptisteria communiter dedicabantur S. Joanni Baptistae. Plura adhuc supersunt, inter quae eminet baptisterium Lateranense, aedificatum a Silvestro (314-335).

168. CONFIRMATIO. *Ritus.* Initiatio christiana olim complebatur unctione post baptismum statim facta, impositione manus episcopi et consignatione crucis in fronte. A IV saec. unctio postbaptismalis peracta est a sacerdote baptizante, et in Oriente mox attraxit impositionem manus et consignationem. Haec unctio, cui additae sunt aliae plures, in omnibus ritibus orientalibus constituit sacramentum confirmationis.

In Occidente vero, semper reservata sunt episcopo impositio manus et consignatio, cui, ante saec. V, addita est unctio. Jamvero, consignatio cum unctione mox facta est ritus principalis confirmationis, forsan ne confunderetur sacramentum cum impositione manus qua reconciliabantur haeretici.

Formula. Graeci a IV saec. utuntur formula declarativa: *Signaculum doni spiritus Sancti...* Attamen antiquiores copti (sicut nunc moderni) dicebant: *Unguo te oleo...* Latini etiam simili formula utebantur: *Signum Christi in vitam aeternam.*

Dimittebantur confirmati osculo pacis cum verbis: *Pax tecum*, quibus respondebatur: *Et cum spiritu tuo.*

---

§ 2. Eucharistia.

169. LITURGIA ORIENTALIS. Ritus Eucharisticus vocabatur in Oriente ΛΕΙΤΟΥΡΓΙΑ.

Ritus Alexandrinus. Ritus Alexandrinus vetus cognoscitur praesertim ex *Liturgia S. Marci* et liturgis copticis. Praecipue notandum est quod *Litaniae* diaconales, quibus ter respondebat populus *Kyrie eleison*, ter repetebantur, ita ut no-

vem essent *Kyrie eleison*. *Offertorium* fiebat ad altare. Magna intercessio ante *Sanctus* erat.

Ritus Antiochenus (Constantinopolitanus, Graecus), abbreviatus, ut videtur, a Basilio († 379), et denuo a Chrysostomo († 407) (1), factus est practice ritus omnium Graecorum. In eorum libris modernis, inveniuntur tres liturgiae : Basilii, qua utuntur Dominicis et festis, Chrysostomi, qua utuntur communiter, et *praesanctificatorum*, quam falso tribuunt Gregorio Magno, et qua utuntur diebus quadragesimae, praeter sabbatum et dominicam. Liturgia praesantificatorum, similis missae feriae VI in Parasceve, non est nisi liturgia Basilii sine anaphora seu prece eucharistica.

Liturgia byzantina, c. 600(2), incipiebat a *Trisagion*(3), quod sequebantur tres lectiones, ex Vetere Testamento (prophetica), ex Epistolis, ex Evangeliis. Post homiliam dimittebantur catechumeni. Tunc solemniter adducebantur oblata a tabula prothesis dum cantabatur *cherubicon* (574), recitabatur symbolum (a V saec.), legebantur diptycha (*memento*) viventium et mortuorum. Sequebatur anaphora eucharistica, in qua erant inter alia *Sanctus, anamnesis,* (*commemoratio Christi*), *epiclesis* (*invocatio Spiritus Sancti*), oratio Dominica. Tandem veniebant fractio panis, elevatio (VII saec.) et communio, et gratiarum actio. Ponebant aquam calidam in calice ante communionem.

170. MISSA OCCIDENTALIS. In Occidente etiam distinguebatur duplex pars in missa, praesertim usque ad desuetudinem catechumenatus (VI-VII saec.)

Ritus Romanus. Ritus romanus non multum mutatus est a tempore Gregorii Magni († 604), praeterquam quod nonnullas additiones recepit ex ritu gallicano.

Ingredientibus ministris, cantabatur psalmus *Introitus* (V saec.), deinde *Kyrie eleison* (quod superest, ut videtur, ex litaniis diaconalibus). *Gloria* additum est a Symmacho († 514) in missa papali, et concessum est postea sacerdoti-

---

(1) Proclus (446), *De traditione missae*. *P. G.*, 45, 849.

(2) Cf. Pargoire, *L'Eglise byzantine*, Paris, 1905, pp. 99 s. et 230.

(3) *Agios o Theos, agios ischuros, agios athanatos, eleeson emas.*

bus, diebus solemnioribus. Tres videntur fuisse lectiones, sed lectio prophetica plerumque omittebatur (a V saec.). Sequebatur homilia episcopi; sacerdotes non praedicabant. Interponebatur cantus psalmorum. Hucusque missa catechumenorum.

Dimissis catechumenis, statim incipiebat oratio communis fidelium, cujus vestigium remanet in nostro *Oremus*, (et forsan in orationibus feriae VI in Parasceve), sed mox omissa est. Sequebatur oblatio fidelium; cantus *Offertorii*, vivente Augustino († 430), "esse apud Carthaginem coepit"(1). Fiebat praeparatio oblatorum ad altare. Post orationem super oblata, incipiebat oratio eucharistica in forma praefationis. Jam a saec. V, commemorationes Pontificum, Sanctorum, sicut nunc, ponebantur post *Sanctus*. Post verba consecrationis, legebantur *anamnesis* (*Unde et memores*) et *epiclesis* (*Supra quae;* invocatio Spiritus Sancti non est tam dilucida quam in liturgiis orientalibus). Sequebatur *magna intercessio* (*Memento, Nobis quoque*), abbreviata in canone moderno, et tandem *Pater*, a tempore Gregorii Magni, qui illud reposuit in hoc loco juxta usum Constantinopolitanum, nam antea recitabatur post fractionem. Tunc ponebatur pars panis diebus praeviis consecrati in calicem (ad unitatem sacrificii ostendendam), et procedebatur ad fractionem panis, dum cantabatur *Agnus Dei* (a tempore Sergii I 687-701). Durante communione, cantabatur *Communio* (c. 500). Post orationem collectivam in gratiarum actionem, diaconus dimittebat omnes dicendo: *Ite, missa est.*

Ritus Gallicanus. Ritus gallicanus in pluribus convenit cum liturgiis orientalibus. Haec praecipue notari debent. Praeparatio oblatorum fiebat in sacrario aut ad credentiam. Post ingressum celebrantis, cantabatur triplex canticum: *Trisagion, Kyrie, Benedictus.* Tres erant lectiones, et nunquam omittebatur homilia saepe a mero sacerdote facta. Post litaniam et orationem dimittebantur catechumeni.

Tunc solemniter afferebantur oblata. Diptycha legebantur et pax dabatur ante canonem. *Pater* recitabatur post fractionem panis, et solemnis benedictio dabatur ante com-

(1) Aug., *Retrac.*, 2, 11.

munionem. Sequebatur gratiarum actio et dimissio fidelium: *Missa acta est. In pace* (*Stowe Missal.*).

171. COMMUNIO. In missa, fideles communionem sub duplici specie recipiebant, panem ab episcopo, vinum a diacono. Viri recipiebant panem in manu dextra, saltem in ritu gallicano, et mulieres in linteo (1). Semper dabatur communio, sub specie vini, infantibus statim post baptismum, in Oriente et in Occidente.

Usus ecclesiarum quoad receptionem communionis potest resumi verbis Augustini: "Alii quotidie communicant corpori et sanguini dominico, alii certis diebus accipiunt, alibi nullus dies intermittitur quo non offeratur, alibi sabbato tantum et dominico, alibi tantum dominico" (2). Basilius commendabat communionem quotidianam, sed tamen quater in hebdomada tantum communicabant in Cappadocia. Permittebatur solitariis et aliis ut eucharistiam (sub specie panis) secum afferrent et privatim communicarent. Saec. V, Patricius graviter reprehendit eos qui non communicant saltem die Paschatis. Juxta concilium Agathense (586), ii ut catholici haberi non debent, qui non communicant diebus Natalis, Paschatis et Pentecostes.

Pars oblationis non consecrata distribuebatur fidelibus (in Occidente, a saec. VI), ut *eulogia*, vel ANTIDOPON.

172. VESTES LITURGICAE. LIBRI LITURGICI. Vestes liturgicae non proveniunt a vestimentis sacerdotum Judaeorum sed a vestibus festivis civilibus. A IV saec., dum a laicis vestes illae deserebantur, servatae sunt a clericis, qui induebant eas super vestes ordinarias in functionibus liturgicis. Paulatim immutatae sunt et variis ornamentis decoratae. Utebantur tunica linea (*alba*), paenula rotunda vel oblunga (*casula, planeta, cappa*), tunica dalmatica (*dalmatica*), et, a saeculo VI, orario seu stola, quae videtur fuisse ornamentum aut signum officii civilis.

Praecipuus liber liturgicus erat *sacramentarium*, liber celebrantis (episcopi), in quo continebantur omnia quae dice-

(1) Cf. Caes., *Serm.* 252.
(2) Aug., *Ep.*, 54, 2.

bantur ab ipso, non autem quae recitabantur aut cantabantur a diacono vel populo, in omnibus functionibus liturgicis. Adhuc remanent *Leonianum* (VI), *Gelasianum* (VII), *Gregorianum* (VIII), sacramentarium, ritus romani. Alii libri erant *comes, liber comicus, liber fidelium, evangeliarium, lectionarium, antiphonarium, graduale, responsalis, hymnaria,* etc. Nullas continebant rubricas de agendis, seu de motibus liturgicis.

Antiqui calices (*patenae*) erant vitrei aut marmorei, sed a IV saec. erant communiter aurei aut argentei. Ad formam quod attinet, videntur fuisse phialae rotundae cum pedicuło et duabus ansis.

---

§ 3. Paenitentia.

173. CONFESSIO. Peccata post baptismum commissa ordinarie remittebantur per exomologesim seu paenitentiam publicam, quae sine dubio supponebat confessionem peccati episcopo factam. Plerique fideles "vel et ipsi sancti viri quorum vita nobis narrata est, quum peccatum mortale post baptismum serius susceptum non commisissent, nunquam confitebantur... Erat equidem obligatio confitendi peccata mortalia (*etiam alia praeter tria gravissima*), sed multi fideles, ut videtur, de illa parum curabant, et, diebus festis, caeteris accedentibus ad sacram communionem se adjungebant, quin purificarentur paenitentia" (1).

Minister paenitentiae esse coepit merus sacerdos cum delegatione episcopi c. 400. Mox, in Oriente praesertim, monachi facti sunt patres spirituales fidelium.

A VI saec., incipiunt vulgari libri paenitentiales, in quibus satisfactiones pro magnitudine peccati exigendae statuuntur.

Disciplina severior longius in Occidente quam in Oriente perseveravit. Peccata enormia (tria) non remittebantur nisi per paenitentiam publicam. Caetera quae ex consuetudine, vel consilii aut directionis causa, sacerdotibus subjiciebantur,

(1) Harent, *La Confession*, in Etudes, t. 80 (1899), pp. 604-605.

directe et per opera secreta absolvebantur. Usus confitendi venialia venit a monachis.

174. EXOMOLOGESIS. Exomologesis seu paenitentia publica, constabat confessione secreta apud episcopum aut sacerdotem ab eo specialiter delegatum (*paenitentiarium*), concessione actionis paenitentiae (impositione cilicii, cineris, etc.), exercitiis paenitentiae cum segregatione a fidelibus communicantibus per tempus plus minusve longum, tandem absolutione per impositionem manus episcopi post paenitentiam completam (communiter feria V in coena Domini). Nihil lucidius verbis Augustini exponentis disciplinam Ecclesiae de peccatis remittendis ad catechumenos: "Semel abluimur baptismate, quotidie abluimur oratione (sc. dominica: *dimitte nobis*...). Sed nolite illa committere propter quae necesse est ut a Christi corpore separemini: quod absit a vobis. Illi enim quos videtis agere paenitentiam, scelera commiserunt, aut adulteria aut aliqua facta immania: inde agunt paenitentiam" (1).

Ferunt paenitentiam publicam fuisse suppressam Constantinopoli a Nectario c. 391, propter revelationem criminis nobilis feminae cum diacono. Certum est non multo post in toto Oriente in desuetudinem abiisse. In Occidente, disciplina paenitentialis severior longius duravit, nempe usque ad VI saec. Extremis autem temporibus non injungebatur nisi pro criminibus publicis. De caetero Leo Magnus (+ 461) prohibuit tanquam abusum promulgationem peccatorum paenitentium.

Jamvero semper admissae erant exceptiones (moribundi, clerici...), dispensationes, commutationes (indulgentiae), quoad satisfactionem publicam. Nonnunquam peccata erant minus gravia et tales erant circumstantiae ut durior videretur legitima paenitentia. Insuper plures rigore paenitentiae deterrebantur recurrere ad sacerdotes et manebant in peccatis. Inde gradatim evanuit satisfactio publica, maxime quum usus baptizandi infantes generalis factus est, et mansit sola confessio secreta cum satisfactione privata atque absolutio statim communiter dabatur. Satisfactio tamen erat rigorosa

(1) Aug., *De symbolo ad Catech.*, 1, 7, 15.

et pro gravitate delictorum injuncta. Confessiones frequentiores factae sunt.

---

§ 4. Ordo. Extrema Unctio. Matrimonium.

175. RITUS ORDINATIONIS. *In Oriente.* Episcopus ordinabatur a tribus episcopis. Post interrogationem ter repetitam de electo, cui populus respondebat: *Dignus est*, recitabatur oratio in forma eucharistica (praefationis), dum duo diaconi tenebant librum Evangeliorum apertum supra caput ejus. Sacerdotes, diaconi, subdiaconi, lectores, (alios enim ordines non habebant), similiter ordinabantur simplici oratione solemmi coram populo cum impositione manus episcopi.

In Occidente. Ritus Romanus. Ad ordines minores conferendos, non dabatur nisi benedictio cum traditione instrumenti officiorum, sacculi linei acolytho, calicis vacui subdiacono (jam a saec. VI). Ordinationes majores semper locum habebant sabbato quatuor temporum (mense decembris ante saec. VI). Post interrogationem populi, invitabantur ad orationem et, omnibus procumbentibus, cantabatur litania. Qua finita, episcopus recitabat orationem collectivam et deinde orationem consecratoriam in forma praefationis. Singulis manus imponebantur. In ordinatione episcopi, quae semper fiebat a tribus episcopis, Romana ecclesia excepta, liber evangeliorum apertus tenebatur supra caput ordinandi. *Ritus Gallicanus.* Jam a V saec., minores ordines et subdiaconatus conferebantur traditione instrumentorum, clavis ostiario, etc., cum benedictione episcopi quam praecedebat invitatorium. In ordinatione diaconorum, sacerdotum, episcoporum, interrogabatur populus, qui respondebat: *Dignus est.* Deinde, post invitatorium, recitabatur oratio consecratoria, manu extensa supra ordinandos. Omnes sacerdotes praesentes pro sacerdotibus, et episcopi pro episcopis, manum extendebant supra ordinandos simul cum episcopo consecrante. Ungebantur manus sacerdotum et episcoporum.

Tonsura. Usus tondendi caput a monachis transiit ad clericos c. 500. Ipse autem ritus separatus est, in Occidente, a prima ordinatione c. 700.

176. **EXTREMA UNCTIO.** Unctio infirmorum videtur parum usitata fuisse in Oriente, ante saec. VIII. In Occidente, saec. IV exeunte, Ambrosius, Augustinus alludunt ad impositionem manuum super infirmum, cum unctione olei benedicti factam. Usus romanus exponitur in epistola Innocentii I ad Decentium (416): "Quod (*Jac.*, 5, 14) non est dubium de fidelibus aegrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis ungi possunt, quod ab episcopo confectum, non solum sacerdotibus, sed et omnibus christianis uti licet in sua aut in suorum necessitate ungendum" (1). Beda († 735) intelligit Innocentium in sensu obvio de unctione ab ipsis fidelibus facta et attestatur hunc usum esse universalem suo tempore (2). Forsan agitur de usu extrasacramentali.

177. **MATRIMONIUM.** Matrimonium fidelium habebatur ut sacrum et ordinarie benedicebatur a sacerdote. In ritu romano, benedictio in forma eucharistica dabatur post *Pater* in missa. In Oriente coronabantur sponsi.

Codex Justiniani agnoscebat quinque causas divortii. In Occidente vero, indissolubilitas absoluta vinculi matrimonialii, etiam in casu adulterii uxoris, vindicabatur. Hoc tempore incipiunt impedimenta dirimentia matrimonium multiplicari tum in Oriente tum in Occidente.

§ 5. Dies jejunii. Dies festi. Breviarium. Ecclesiae. Coemeteria.

178. DIES JEJUNII. *Quadragesima.* Ante IV saec. fideles praeparabantur Paschae jejunio unius vel alterius diei vel ad summum unius hebdomadae sanctae. Sed a saec. IV ineunte (3), sermo est de quadragesima. In Occidente per sex, in Oriente vero per septem hebdomadas jejunabant. Cum autem non jejunarent in Occidente die dominica, neque in Oriente sabbato praeter sabbatum sanctum, numerus dierum jejunii erat 36, quod Gregorius Magnus vocat decimas anni. Saec. VII, additi sunt quatuor dies in Occidente, et una heb-

(1) Inn., *Ep. ad Dec.*, 8.
(2) Beda, in *Jac.*, 5, 14.
(3) Cf. Conc. Nic., can. 5.

domada in Oriente, ut numerus 40 obtineretur. Abstinebant a carne, etiam dominicis, et jejunium non frangebatur ante nonam.

Quatuor tempora. Jejunium quatuor temporum originem romanam habet (saec. V). Occasio hujus institutionis videtur fuisse usus paganus feriarum sementis (decembris), messis (junii), vindemiae (septembris). Quarta hebdomada serius addita est. Jejunabant autem feria IV et VI, et sabbato erat vigilia.

Adventus. Jejunium praecedens Natale Domini existebat in Gallia saec. V exeunte. Inde, ut videtur, transiit in Italiam, saeculo sequenti. Jejunabant feria IV et VI et sabbato per sex hebdomadas in Gallia, per quatuor tantum in Italia.

Vigiliae. Jejunium vigiliarum Natalis, Epiphaniae, Pentecostes servari c. 400, attestantur Hieronymus, Chrysostomus, Leo Magnus.

179. DOMINICA. Dominica dies erat ante omnes dies synaxis, in qua celebrabatur liturgia. Alii dies, qui non erant festi, erant aliturgici, id est sine missa. In Oriente, circa finem IV saec., diebus liturgicis additum est sabbatum quo prohibebatur jejunare.

Concilium Agathense (506) praescripsit assistentiam toti missae (1), et concilium Aurelianense (538) decrevit abstinendum esse hac die a labore servili (2). Constantinus jam a 321 lites prohibuerat, et mox caetera vetita sunt.

180. DIES FESTI. *Domini.* Festis paschalibus additum est festum Ascensionis saec. IV. Mamertus Viennensis instituit Rogationes, c. 470, quae mox receptae sunt in tota Gallia (3). Festum Nativitatis Domini celebrabatur Romae, in. saec. IV, 25a decembris (probabiliter quia putabant Christum 25a martii (equinoctium, initium anni) mortuum esse, atque conceptum fuisse, in Oriente vero 6a januarii. Festum latinum transiit ad Orientales IV et V saec., et festum grae-

(1) Can. 47.
(2) Can. 28.
(3) Cf. Conc. Aurel. (511), can. 27.

cum receptum est in Occidente c. 400, cum nomine Epiphaniae. Medio saec. V jam commemorantur tria objecta festi Epiphaniae. De Circumcisione primo auditur in Gallia anno 567. Exaltatio S. Crucis a Jerosolymis, c. 350, diffusa est in Orientem et serius in Occidentem (VII), ubi instituta est etiam Inventio (3a maji) post victoriam Heraclii (629) et recuperationem verae Crucis.

Virginis. Quatuor antiqua festa B. Virginis ortum habuerunt in Ecclesia graeca: Purificatio, seu *hypapante* (*occursus*), 14a februarii, a IV saec. (translata est ad 2am februarii, saec. VI); Annuntiatio, ab initio saec. V; Assumptio, seu Dormitio, in Palaestina, a saec. VI; Nativitas, 8a septembris, a saec. VI. Festum Praesentationis videtur incepisse nov. 543, occasione dedicationis ecclesiae Jerosolymis.

Sanctorum. Jam a saec. III, celebrabatur festum SS. Petri et Pauli, 29a junii, Romae. Addita sunt festa: Nativitatis Joannis Baptistae, 24a junii (IV saec.), S. Stephani et S. Joannis, 26a et 27a decembris (IV saec.), SS. Innocentium 28a decembris (V saec.), Macchabaeorum, 1a augusti (V); Natale Petri de Cathedra (loco festi pagani *Cara cognatio*), 22a februarii (IV), (in regionibus vero ritus gallicani, 18a januarii, propter quadragesimam): S. Michaelis, 29a septembris (VI); S. Andreae, 30a novembris (VI); Dedicatio ecclesiae Petri, 1a augusti (V); Dedicatio ecclesiae Philippi et Jacobi, 1a maji (med. VI). Praeterea commemorabantur sancti regionales, praesertim in Oriente.

181. BREVIARIUM (1). CANTUS. *Horae.* Antiquus erat mos conveniendi in ecclesiam, mane et vespere, ad preces faciendas, quotidie, praeter vigilias dominicales et festivas. Vocabantur hae preces *Matutinae* (id est *Laudes Matutinae*) et *Lucernarium.* Medio saec. IV, a monachis et ascetis introductus est usus conveniendi hora *tertia, sexta* et *nona*, et quando festum agebatur etiam nocte ad faciendam vigiliam (*officium nocturnum*). *Prima* addita est c. 390 in monasteriis Palaestinensibus propter negligentiam monachorum qui, post officium nocturnum, non surgebant ante tertiae tempus, et statim ubique a monachis recepta est. *Comple-*

(1) Baumer-Biron, *Histoire du Bréviaire*, Paris, 1905, 2 vol.

torium tribuitur a quibusdam sancto Basilio (+ 379). Mox clerici adducti sunt ad recitandum officium nocturnum et diurnum cum monachis, et consuetudo serius facta est lex. Ordinatio benedictina precum, favente Gregorio Magno, recepta est in tota Ecclesia romana.

Materia. Substantia Officii erant psalmi, lectiones, hymni, orationes. Fere eadem ubique erat, sed ordinatio pendebat a superioribus ecclesiae aut monasterii. Sanctus Benedictus divisit totum Psalterium in hebdomadae dies, et lectiones Scripturae in totius anni dies. Addidit *Benedictus* et *Magnificat* et *Nunc dimittis* in *Laudibus* et *Vesperis* et *Completorio*. In Oriente, factae sunt multae additiones extrascripturales, antiphonae (IV), hymni troparii (VI), quae mox obtinuerunt praecipuum locum.

Cantus. Cantus admittebatur tum in missa tum in officio. Ambrosius (+ 394) instauravit cantum in ecclesia Mediolanensi, ita ut eo commoveretur Augustinus. Gregorius Magnus (+ 604) instituit Romae scholam cantorum et traditio firma ei tribuit instaurationem cantus ecclesiastici.

182. ECCLESIAE. *Basilicae.* Forma communior ecclesiarum in Occidente erat basilica, id est, cella oblonga, in tres saltem naves divisa, duplici serie columnarum. Media navis caeteris altior erat. Communiter non erant fornicatae neque etiam tabulatae, ita ut trabes tecti viderentur. Media navis terminabatur apside, cujus extremo parieti applicabatur sedes episcopi. Apsis et arcus triumphalis ornabantur opere musivo aut pingebantur. Altare ponebatur inter apsidem, seu potius praesbyterium, et navem. Unum tantum erat altare in orientalibus ecclesiis, et a saec. V quandoque plura in occidentalibus. Supra altare erigebatur ciborium columnis innixum, e cujus medio saepe pendebat columba in qua asservabatur Eucharistia. Turres basilicis adjacentes oriuntur a Syria. A VI saec., frequenter aedificatae sunt.

Tholi. Rotundae. Praeter basilicas, inveniuntur etiam ecclesiae rotundae vel polygoniae, tholo auctae. In Oriente, basilicae fornicatae aedificatae sunt et tholus additus est super angulis navis et chalcidici, id est, navis transversae inter apsidem et naves. Ita paulatim formata est ars

byzantina. Praecipuum monumentum hujus artis est ecclesia constantinopolitana Sanctae Sophiae (537).

183. COEMETERIA. IMAGINES. NUMISMATA. *Coemeteria.* Post pacem Constantinianam, gradatim cessaverunt, Romae, sepelire mortuos in catacumbis, praesertim ab invasione Gothorum (410), et fere totaliter a 450. Coemeteria facta sunt in aperto, circa ecclesias, in ipsis basilicis.

Catacumbae visitabantur devotionis causa (1), a IV saec., sicut et loca sacra Palaestinensia. A V saec., inceperunt transferre reliquias. Damasus papa (366-384) praesertim sollicitus fuit de catacumbis instaurandis.

Imagines. A IV saec., multiplicatae sunt imagines pictae in parietibus ecclesiarum, sive opere musivo, sive coloribus. Pingebantur symbolica, vel facta Novi Testamenti, imagines Christi et Apostolorum (2). Christus autem, ab initio, nunquam fere patiens, sed gloriosus et triumphans repraesentabatur. Crux vero, plus minusve exornata, ubique invenitur. Quaedam tamen imagines Crucifixi publicae V saec. asservatae sunt, e. g. in porta lignea insculpta ecclesiae S. Sabinae Romae. Christus nudus est (praeter cinctorium renum) et adhuc vivens. In Evangeliario syriaco 586, Christus indutus est longa tunica. Offendebantur enim fideles Christo nudo, atque haec forma mox praevaluit usque ad saec. circ. IX.

Numismata. Certum est fideles, a IV saec. et antea, detulisse, etiam circa collum, tanquam pia amuleta, numismata plumbea aut argentea imaginibus sacris aut sententiis piis ornata.

---

(1) "Dum essem Romae (370-371), solebam cum caeteris ejusdem aetatis, cryptas ingredi..." Hier., *in Ezech.*, 12, 40.

(2) "Christum et Apostolos in pictis parietibus..." Aug., *De cons. Evang.*, 10. Cf. Hier., *in Jon.*, 4, 6.

CAPUT QUINTUM

DOCTRINA ECCLESIASTICA

---

§ 1. Conspectus syntheticus evolutionis dogmatis.

FONTES. Acta et decreta Conciliorum. Scripta Patrum, praesertim sancti Augustini. Cf. Tixeront, *Histoire des dogmes*, Paris, 1909.

184. INGENS PROGRESSUS. In hac aetate, occasione controversiarum christologicarum, plenius exposita est tota doctrina christiana, et dogma inde maximum incrementum accepit. Praecipuarum definitionum aetas est. Progressio autem facta est per defensionem fidei, et quidem per ejus explicationem et definitionem magis explicitam potius quam per ejus analysim et expositionem scientificam.

185. QUARTUM SAECULUM (313-430). *Patres Graeci.* Admittunt in Deo tres hypostases, consubstantiales, cohabitantes in invicem : Patrem ingenitum, fontem Trinitatis, Filium ab aeterno unigenitum, Spiritum Sanctum a Patre per Filium procedentem. De modo quo distinguuntur personae nihil certum docetur. Christus est Verbum vere incarnatum, verus homo completus, unus. Quomodo autem sit unus, non explicatur sine ambiguitate. Vere salvavit nos, sed modus redemptionis varie explicatur. Finis redemptionis est elevatio ad statum divinum, filiationem adoptivam. Homo primitivus erat beatus, sine dolore et morte; miseriae praesentes sunt sequela peccati Adami, qui transmisit nobis certo miserias, sed non tam distincte docent transmissionem ipsius peccati. Libertas nostra destructa non est; de necessitate autem gratiae aliquo modo ambigue loquuntur, cum nondum satis accurate distinguant ordinem naturalem et supernaturalem. Sacramenta operantur independenter a sanctitate ministri. Sacramenta tria imprimunt characterem, sed character nondum clare distinguitur a gratia. Eucharistia continet realiter corpus Christi; hoc autem incipiunt explicare

per quamdam conversionem, epiclesi inductam. Eucharistia est simul sacrificium. Incipit Marialogia. Maria est *Theotokos*, semper virgo, attamen non debet adorari. Orandum est pro mortuis. Aderat quaedam haesitatio quoad naturam visionis beatificae.

Latini. In Occidente, melius distinguebant inter naturam divinam et personas. Spiritus procedit a Patre per Filium. De unione naturarum in Christo recte sed nonnunquam obscure loquuntur. Christus salvavit nos per satisfactionem vicariam. Doctrina de Ecclesia magis progreditur quam in Oriente. Vera Ecclesia est primo quidem sancta, sed praesertim una et catholica, et hoc nonnisi Ecclesiae Romanae convenit. Omnia sacramenta jam agnoscuntur, quae quidem non pendent quoad efficacitatem a dignitate ministri. Quoad eschatologiam, seu novissima hominis, inclinabantur ad credendum omnes fideles serius ocius esse salvandos.

Angustinus († 430). "Augustinus, omnium confessione, maximus Ecclesiae doctor est. Quanquam vix ullam in Oriente obtinuit auctoritatem, Pater ecclesiae occidentalis in tota vi hujus appellationis factus est et semper mansit. In ipso contrahitur et clauditur antiquitas christiana latina, cujus sententia quam subtilissime in ejus operibus exprimitur; sed etiam cum ipso jam emergit theologia mediaevalis, quam praeparavit et cujus prima lineamenta in ejus scriptis percipiuntur" (1).

Augustinus explicat pluralitatem personarum divinarum per oppositionem relationum. Clare docet Spiritum Sanctum etiam a Filio procedere. Deus est creator omnium, sed non est auctor mali, quod non venit nisi ab infirmitate creaturae et a libertate hominis. Opinatur angelos habere corpus aethereum, et nusquam loquitur de angelo custode individuali. Daemones sunt angeli lapsi. Nullam ignorantiam admittit in Christo. Etsi non tam diserte de unione naturarum locutus est, non habet in mente nisi unionem personalem. Christus nobis profuit non exemplo tantum, sed praesertim pretio mortis suae, quod explicat sive ut redemptionem, sive ut substitutionem. Christus mortuus est pro omnibus. Ecclesiae,

---

(1) Tixeront, *Histoire des dogmes*, 3 éd., Paris, 1909, t. 2. p. 354.

quae est corpus Christi, quatuor notas recte ostendit, et docet extra eam non esse salutem. Recte distinguit duplex elementum in sacramentis. Distinguit etiam validitatem et efficaciam sacramenti, quae non pendet a dignitate ministri. De praesentia reali in Eucharistia, de transsubstantione praesertim, diserte non loquitur, nil tamen erroneum scripsit. Firmiter tenet aeternitatem poenarum inferni, etsi tamen nonnulli fideles salvari possunt per ignem.

Praecipua autem expositio dogmatica Augustini est de statu primitivo hominis, de gratia, de praedestinatione. Docet hominem ornatum fuisse donis et gratia, sed non valde explicite distinguit inter ordinem supernaturalem et naturalem. Affirmat explicite existentiam peccati originalis, et omnibus sedulo perpensis, putat hoc peccatum nobis transmissum sistere in concupiscentia et praesertim in concupiscentia carnali, quae non esset in carne nostra si Adam non peccasset, et proinde transmittitur per actum generationis. De gratia loquens, non explicite distinguit inter gratiam habitualem et actualem, communiter vero loquitur de actuali. Incunctanter vindicat necessitatem absolutam et universalem gratiae, quae est omnino gratuita. Non negandum est ipsum loqui cum quadam obscuritate de libertate hominis, gratia efficaci accepta. Affirmat praedestinationem independenter a meritis pure naturalibus contra pelagianos, sed eum fugiunt aliae distinctiones. De voluntate salvifica universali etiam non cognoscit distinctionem inter voluntatem antecedentem et consequentem, et propterea ordinarie negat Deum velle omnes homines salvos fieri, intellige voluntate consequenti. Omnes enim juste damnantur propter peccatum Adami, etiam infantes.

186. PATRES V-VII SAECULI. *Graeci.* Post longas discussiones definitum est Ephesi (431) unicam esse personam in Christo, et Chalcedone (451) duas esse naturas, et tandem duas esse in eo operationes et voluntates, Constantinopoli (680). Doctrina de spiritualitate absoluta angelorum ubique recipitur, et magis explicite affirmatur custodia angelica. Ignorantur in Oriente explicationes propositae ab Augustino de conditione primi hominis, de ejus lapsu, de peccato originali, de necessitate gratiae sive pro bonis operibus

in genere, sive pro initio fidei, et ideo cum obscuritate loquuntur de iis rebus. Redemptio est aequivalens et superabundans. Non obscure agnoscitur primatus Petri et proinde Sedis romanae.

Latini. Non multum additur theologiae Augustini. Praeter definitiones conciliorum quae statim receptae sunt in Occidente, et definitionem necessitatis gratiae, etiam ad initium fidei et salutis, vix ullus progressus notandus est. Angelorum spiritualitas agnoscitur. Doctrina de judicio particulari, de purgatorio proponitur.

---

§ 2. Haereses.

187. MAGNARUM CONTROVERSIARUM DOCTRINALIUM AETAS. Hucusque Ecclesia debuerat equidem doctrinam suam adversus varios errores defendere et explicare, sed quando, pace reddita, et ipsi docti turmatim concurrerunt ad eam, majores adhuc controversiae ortae sunt, et quidem de ipsis fundamentalibus veritatibus doctrinae christianae: de Deo (de Trinitate Dei), de Christo, de homine. Lites doctrinales, propter mutatam Ecclesiae conditionem, abierunt in factiones politico-religiosas, quae commoverunt totum imperium. Inde lugendae scissiones et innumera mala. Inde etiam occasio doctrinae lucidius et explicitius affirmandae et exponendae, et librorum scribendorum, qui pretiosissimum Ecclesiae thesaurum constituunt.

I. Controversiae trinitariae: arianismus; semiarianismus; macedonianismus.

188. ARIUS (c. 256-336). Arius, in Lybia natus, auditor fuit Luciani praesbyteri Antiocheni (+ 312), et anno 313 curam habebat ecclesiae Baucalis in civitate Alexandrina. In synodo habita 318 accusavit Alexandrum episcopum suum sabellianismi et suam Trinitatis explicationem proposuit. Leniter primo reprehensus, non acquievit, sed discipulos congregavit et resistentiam paravit. Cum autem in synodo excommunicatus esset (320), debuit relinquere civitatem. Venit

in Palaestinam et postea Nicomediam, atque verbis et scriptis et canticis errores suos sparsit multosque decepit (1). Errores defendit in concilio Nicaeno (325), sed, cum damnatus esset, missus est in exilium a Constantino. Favore autem Eusebii Nicomediensis revocatus (329 vel 330), oblata obscura formula fidei gratiam Constantini obtinuit. Post concilium Tyrense (335), conatus est, renitente Athanasio, Alexandriam regredi. Vocatus Constantinopolim, brevi post mortuus est subito dum ipsi parabatur ingressus triamphalis in ecclesiam (336).

Arius erat statura altus, exilis, moribus gravis, conversatione suavis, in dialectica exercitatus, astutus vero simul et opinionum tenacissimus.

189. DOCTRINAE ARII SUMMA. Deus est necessario unus et ingenitus, substantia indivisibilis. Omne igitur quod extra eum est, ex nihilo est. Ideoque Verbum ejus, auctor mundi, est quidem supra mundum, ante saecula, sed factus est ex nihilo, et fuit (momentum) quando non erat. Dicitur genitum, sed improprie, nam non est nisi perfectissima creatura.

190. CONCILIUM NICAENUM (325). Constantinus, dissidii inde orti impatiens, concilium universale episcoporum in urbem Nicaenam convocavit. Congregati sunt circiter 318 episcopi, omnes fere orientales. Adfuerunt tamen Hosius Cordubensis, praeses, et duo sacerdotes, episcopi romani legati. Audito Ario, tres videntur fuisse factiones : Ariani, 20 circiter, qui dicebant Verbum esse creaturam ; major pars orientalium, qui profitebantur Verbum esse Deum, sed non audebant dicere eum aequalem Patri ; et orthodoxi, Athanasio duce, quorum explicationes tandem receptae sunt. In symbolo addita sunt verba: *Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem* (ΟΜΟΟΥΣΙΟΝ) *Patri.*

Arius et Secundus et Theonas, qui fidei definitioni subscribere renuerant, et paulo post Eusebius Nicomediensis et Theognis Nicaenus qui Arianis secreto favebant, missi sunt

(1) Juxta nonnullos, initia arianismi anno 323 reponenda essent.

in exilium. Eusebius autem, favore Constantiae, sororis Imperatoris, mox revocatus est (328).

191. EUSEBIANI (325-350). Factio potens omnium qui arianismo favebant, duce Eusebio Nicomediensi, facta est, sed, dum vixit Constantinus, nihil actum est contra ipsum concilium, sed solum contra defensores ejus. Eustathius Antiochenus depositus est (330). Arius reconciliatus est in concilio Tyrensi (335), et Athanasii exilium obtinuerunt (336). Ipse Eusebius Nicomediensis patriarcha Constantinopolitanus factus est (339), dum Athanasius secundo in exilium mittebatur (340). Interea Marcellus Ancyranus, defensor doctrinae nicaenae, librum doctrinae ambiguae scripserat (c. 335), acriter damnatum ab aliis, Eusebianis scilicet, ab aliis ardenter defensum. Photinus, Marcelli discipulus, ab utraque parte damnabatur.

Mortuo Eusebio (442), Macedonius ei successit, et magnae dissentiones ortae sunt. Ad componenda dissidia concilium adunatum est in civitate Sardicensi (343), sed Eusebiani statim recesserunt Philippopolim et damnaverunt Julium Papam, Hosium, et orthodoxos. Jamvero quies et pax quaedam praevaluit et Athanasius Alexandriam regredi potuit (346).

192. SEMIARIANI (350-361). Constantius, qui favebat arianis, factus est solus imperator ab anno 350. Statim anno sequenti (351), ariani congregati sunt Sirmium et primam formulam Sirmiensem confecerunt, in qua rejiciebatur ΟΜΟΟΥΣΙΟΣ. Athanasius damnatus est in concilio Arelatensi (353), Mediolanensi (355), et Constantius in exilium misit episcopos fideles: Liberium papam, Hosium, Luciferum, Eusebium Vercellensem, et, post concilium Baeterrense (356), Hilarium Pictaviensem. In pugna uniti, in victoria scissi sunt ariani. Quidam, ducibus Aetio et Eunomio, stricto arianismo adhaeserunt, et vocati sunt Anomaei. Secunda formula Sirmiensis (357) ipsis debetur (1). Alii, Basilio Ancyrano et Auxentio Mediolanensi ducibus, dicebant Verbum ΟΜΟΙΟΥΣΙΟΝ Patri. Tertiam formulam Sirmiensem (358)

(1) Hosius, prope centenarius, vi coactus, eam subscripsit, sed postea reprobavit.

proposuerunt (1), quam ferunt Liberium papam subscripsisse. Vocati sunt semiariani (2). Tandem quarta formula Sirmiensis, a Marco Arethusano confecta, proposita est jubente Constantio, ut ab omnibus subscriberetur, episcopis occidentalibus Arimini et orientalibus Seleuciae adunatis(359), qui fraude et violentiis denique devicti sunt, paucissimis exceptis. Tunc "ingemuit universus orbis et arianum se esse miratus est" (3).

193. PNEUMATOMACHI, MACEDONIANISMUS (360-381). Mortuo Constantio, orthodoxia invaluit. Sed simul novae disceptationes inceptae sunt de Spiritu Sancto, de quo hucusque obscure tantum dictum erat. Ariani opinabantur eum esse creaturam Filii. Semiariani hanc doctrinam suam fecerunt, ideoque pneumatomachi vocati sunt, vel etiam macedoniani, a Macedonio episcopo Constantinopolitano, etsi forsan ipse Macedonius eam doctrinam expresse non professus est.

Fides orthodoxa instaurata est, in Occidente, opera Hilarii (+ 367), et synodorum romanarum sub Damaso (366-384), in Oriente, opera Athanasii (+ 373) et patrum Cappadocum.

Arianismus proprie interiit quando amisit favorem imperatoris, Theodosio regnante (380). Anno sequenti, concilium Constantinopolitanum novos et antiquos errores damnavit (381).

II. Controversiae christologicae: apollinarismus; nestorianismus; monophysismus; monothelismus.

194. APOLLINARISMUS. Apollinaris, episcopus Laodicensis (c. 360-c. 392), filius Apollinaris Senioris ab Alexandria oriundi, vir gravis atque doctrina et virtutibus clarus fuit. Acerrime defendit doctrinam concilii Nicaeni, sed in errorem ipse lapsus est. Docuit enim Verbum non

(1) Novam formulam non confecerunt sed anteriorem suam fecerunt.

(2) Ab anno 360, quidam semiariani negaverunt divinitatem Spiritus Sancti. Cf. Conc. Constant. (381), can. 1.

(3) Hier., *Alterc. Luc.*, 19.

assumpsisse nisi corpus aut animam sensibilem, non autem animam rationalem. Ita explicabat unionem ejus cum natura humana, ut sequeretur unicam in Christo esse naturam. Plures habuit discipulos, praesertim ex schola Alexandrina. Damnatus est apollinarismus in synodo romana a Damaso (380), et in concilio Constantinopolitano (381). Error Apollinaris praenuntiavit et praeparavit monophysismum.

195. NESTORIANISMUS. Doctores scholae Antiochenae defendebant veritatem et distinctionem naturae humanae in Christo contra Apollinarem et Alexandrinos. Ita Diodorus Tarsensis († c. 390), et discipulus ejus Theodorus Mopsuestenus († 428). Jamvero, dum dualitatem naturarum defendebant, ita unitatem Christi explicabant, ut pateat eos nonnisi unionem moralem naturarum in mente habere ideoque duas personas admittere in Christo, quanquam verbis dicerent unam esse in eo personam. "Est quidem dementia Deum ex virgine natum esse dicere", aiebat Theodorus (1). Unde Maria nonnisi improprie dicitur *THeotokos*.

Theodorus nestorianismi verus pater est. Error tamen nomen sumpsit Nestorii, qui, patriarcha Constantinopolitanus factus (428), eum solemniter praedicavit. Cum Anastasius, discipulus Theodori, in sermone ad populum negavisset Mariam esse deiparam, et facta esset maxima oppositio ex parte populi et monachorum, conatus est ipse explicare doctrinam. In sua expositione admittit quidem duas naturas et unam personam in Christo, sed unio personalis de qua loquitur non videtur esse nisi unio moralis, et, insuper, personalitas Christi esset personalitas nova, non autem personalitas praeexistens Verbi.

Cyrillus, patriarcha Alexandrinus, quum mox audisset de rebus Constantinopolitanis, doctrinam oppositam defendit in variis scriptis et appellavit ad Caelestinum, episcopum romanum, quod jam de caetero fecerat Nestorius. Nestorius damnatus est in synodo romana (430), et debuit retractare errorem intra 10 dies. Cyrillus exequi sententiam jubebatur. Litteris Caelestini Cyrillus intempestive junxit 12 anathematismos, in quibus ita affirmabat unitatem Christi esse *physiken* (*naturalem*), ut adversarii ejus potuerint verisimi-

(1) Theod., *Contra Apollin.*, 3.

liter eum accusare apollinarismi. Totidem anathematismis respondit Nestorius, approbante patriarcha Antiocheno Joanne. Conatus est Cyrillus explicare mentem, sed conciliatio erat impossibilis. Theodosius imperator adunavit concilium generale Ephesi (431). Nestorius damnatus est et depositus, plaudente populo ephesino. Sed pax nondum restituta est. Post duos annos, formula pacis acceptata est ab utraque parte (433). Nestorius missus est in exilium (435) ubi composuit apologiam (*Heraclidis liber*) nuper repertam. Mortuus est anno 451. Caeteri nestoriani depositi sunt, vel ad unitatem reducti.

Doctrina vero nestoriana servata est in schola Edessena, (*schola Persarum*). Post mortem Rabbulae (435), Ibas, successor ejus, defendit doctrinam Theeodori Mopsuesteni. Sed discipuli ejus, Barsaumas et Narses, sub Nonno Ibae successore, confugere ad Persiam debuerunt (457), ubi constituerunt ecclesiam independentem. A V saec. exeunte, ecclesia nestoriana auctoritati *catholicos* Seleucensis paruit. Potens facta est et praedicavit christianam doctrinam etiam Indis et Sinensibus. Ab Arabibus (VII) et Mogolis (XIII-XIV) destructa est.

196. MONOPHYSISMUS. CONCILIUM CHALCEDONENSE (451). Eutyches, archimandrita monasterii Constantinopolitani, "imprudens et imperitus" (1), acriter defenderat partes Cyrilli, cujus tamen doctrinam non videtur recte intellexisse. Docebat unam tantum post unionem esse naturam in Christo, qui igitur nobis consubstantialis non est. Damnatus a Flaviano patriarcha in synodo ENDHMOUSA, appellavit ad Leonem Magnum, Petrum Ravennatensem, probabiliter etiam ad Dioscorum Alexandrinum, et obtinuit a Theodosio II ut concilium adunaretur Ephesi. Flavianus vicissim appellavit ad Leonem, qui rescripsit celeberrimam *Epistolam* dogmaticam, in qua definivit dogma duarum naturarum. Concilium vero Ephesinum, Dioscoro praeside, noluit recipere epistolam Leonis, et episcopi, vi et minis militum atque monachorum monophysitarum terrefacti, Eutychen absolverunt et orthodoxos damnaverunt. Concilium vocatum est *latrocinium Ephesinum* (449).

(1) Leo, *Ep.*, 28.

Theodosio II mortuo (450), Marcianus, Leone approbante, convocavit concilium Chalcedonense (451). Convenerunt circiter 600 episcopi. Approbata est *Epistola* Leonis et Dioscorus depositus est. Theodoretus et Ibas Edessenus orthodoxi judicati sunt. Jamvero in canone 28, sedes Constantinopolitana declarata est secunda post Romanam (Alexandrinorum juribus spretis). Leo approbavit decreta concilii, canone 28 expresse excepto (453).

197. *HENOTICON* ZENONIS (482). SCHISMA ACACIANUM (484-518). Maxima oppositio facta est definitioni Chalcedonensi in patriarchatu Antiocheno et Alexandrino: eam enim tenebant esse doctrinae Cyrilli contrariam atque proinde nestorianam. Episcopi monophysitae vi aut fraude sedes patriarchales occupaverunt: Timotheus Aelurus (*felis*) Alexandriae (457, 475-477); Petrus Mongus (*raucus*) Alexandriae (482); Theodosius Jerosolymis (451); Petrus Fullo Antiochiae (470, 475, 485-488). Ut res componerentur, Zeno, consulente et adjuvante Acacio Constantinopolitano, promulgavit *Henotikon* (*instrumentum unionis*), formulam fidei ab omnibus subscribendam, in qua damnabantur quidem Nestorius et Eutyches, sed simul parvipendebatur concilium Chalcedonense. Cum Felix II papa damnavisset Acacium, ortum est schisma 35 annorum (484-518).

Unitas restituta est sub Justino I et Justiniano (519), cum episcopi orientales subscripserunt formulae Hormisdae papae. Justinianus ita persecutus est monophysitas ut paene exstincti essent circa 543. Jacobus Baradaeus e naufragio salvavit eos percurrendo totum imperium et episcopos monophysitas ubique instituendo per 35 annos († 578). Ecclesia monophysitana propterea vocata est Jacobita.

Interea monophysismus subtiliter exponebatur, juxta mentem et in terminis Cyrilli, a Severo, patriarcha Antiocheno (512-538), et ab aliis. Quod autem excusabatur in Cyrillo, tolerari non poterat post definitionem Chalcedonensem, atque illi semper ut haeretici habiti sunt.

Secta *agnoetarum* formata est circa 540 a diacono Alexandrino quodam monophysita. Docebant Christum quaedam ignoravisse. Damnabantur ab utraque parte.

198. *TRIA CAPITULA*. CONCILIUM V (553). Persuasum est Justiniano quod cessaret oppositio antichalcedonensis, si damnarentur tria scripta (*capitula*), quibus offendebantur monophysitae: scripta Theodori Mopsuesteni, scripta Theodoreti Cyrensis contra Cyrillum, epistola Ibae Edesseni ad Marim. Hoc autem fecit anno 543 aut 544. Annuit ecclesia orientalis. Reclamavit vero ecclesia occidentalis, quia, etsi haec scripta favebant nestorianismo, judicabant isti damnationem in concilium Chalcedonense redundare, utpote quod Theodoretum et Ibam in communionem receperat.

Justianianus conatus est adducere Vigilium papam ad partes suas eumque accersivit Constantinopolim. Vigilius, in *Judicato* (548), primo damnavit *tria capitula*. Reclamantibus autem occidentalibus, retractavit *Judicatum*. Interea Justinianus decretum tulit contra *tria capitula* et concilium adunavit (553). Vigilius vero adduci non potuit ut in concilio sederet, quinimmo in *Constituto* vetuit ne damnarentur *capitula*. Decreto Pontificis non obstante, a patribus damnata sunt, et ipse Vigilius, minis et promissionibus Justiniani victus, decreta probavit, duobus documentis prolatis (553, 554).

199. MONOTHELISMUS. CONCILIUM VI (680). Saeculo sequenti, Heraclio regnante (610-641), cum imperio minarentur Persae, qui nestorianis favebant, et Arabes, qui monophysitis parcebant, studium unitatis religiosae procurandae imperiique firmandi novam controversiam induxit. Quaerebatur formula fidei quae ab omnibus probaretur. Instrumentum consiliorum imperialium fuit Sergius patriarcha Constantinopolitanus (610-638). Nova tessera fidei fuit: in Christo unica est voluntas et operatio (ΕΝΕΡΓΕΙΑ). Hoc sane probaverunt monophysitae (633). Novae doctrinae adversatus est Sophronius monachus, mox ad sedem Jerosolymitanam evectus. Jam Sergius litteras miserat ad Honorium papam, in quibus dolebat quod dictio "unius" aut "duarum operationum multos scandalizaret", ideoque judicabat ab ea abstinendum esse: quod suaserat Sophronio. Respondit Honorius Sergium "satis provide circumspecteque" egisse, suasitque ut vitaretur "novitas vocabuli". Acceptis mox litteris synodalibus Sophronii, ipsum reprobavit eique

silentium imposuit atque novas litteras misit ad Sergium, dicens: "pro una, quam dicunt quidam, operatione, oportet nos unum operatorem.... confiteri". Mortuus est Honorius anno 638.

Interea Sergius praeparaverat professionem fidei monotheliticam, quam Heraclius omnibus imposuit, *Ecthesim* (638). *Ecthesis* recepta est in Oriente, minime vero in Occidente, praesertim a Summis Pontificibus a 641. Anno 648 aut 649, Constans II novum edictum tulit, *Typum*, quo prohibebatur omnis controversia de una vel duabus operationibus in Christo. Martinus I, quondam apocrisiarius, statim post electionem, in synodo Lateranensi, damnavit *Ecthesim* et *Typum* rectamque doctrinam definivit. Persecutione respondit imperator. Tandem, Constante occiso, successit Constantinus IV Pogonatus (668-685), qui ab Agathone legatos rogavit, ut res de novo examinaretur. Agatho synodum habuit et misit legatos cum *Epistola* dogmatica, in qua definiebatur duas esse in Christo voluntates. Adunatum est concilium Constantinopoli (680-681), a quo, post longas discussiones patristicas, recepta est epistola Agathonis et damnati sunt monothelitae, quibus annumeratus est Honorius. Leo II (682-683) confirmavit decreta et anathematizavit Honorium qui "profana proditione immaculatam maculari permisit". Jamvero litterae Honorii ad Sergium non erant prolatae ex cathedra. Insuper Honorius agendi magis quam credendi ratione erravit.

Damnatio monothelismi eradicavit errorem, et finem fecit controversiarum christologicarum, quae per tria saecula Orientem perturbaverant.

200. SYNODUS TRULLANA (692). Canones disciplinares lati non fuerant a concilio V et VI, ideoque adunata est, anno 692, in *Trullo* (basilica tholica) palatii imperialis, Constantinopoli, synodus quae illa compleret (1). Lati sunt canones 102 mere disciplinares, qui facti sunt quasi codex Ecclesiae byzantinae. Nunquam confirmati sunt a Summis Pontificibus.

(1) Concilium VI (680) sedit etiam in *Trullo*.

II. Controversiae anthropologicae: pelagianismus; semipelagianismus.

201. PELAGIUS. CAELESTIUS. JULIANUS. Pelagius, Britannus monachus, "bonus et praedicandus vir" (1), Romam venit ineunte V saeculo. Libris Theodori Mopsuesteni deceptus, incepit negare necessitatem gratiae et peccatum originale. Discipulum habuit Caelestium, juvenem monachum, "incredibili loquacitate" praeditum (2). "Ille (Pelagius) pertinacior, iste mendacior" (3). Eis junctus est anno 417 Julianus Eclanensis (in Apulia), disertus et facundus expositor systematis.

202. DOCTRINA PELAGIANA. Homo creatus est liber a Deo, ideoque potest pro arbitrio facere bonum et vitare malum, sine novo et speciali auxilio divino. Gratia nonnisi ad facilius agendum bonum datur. Cum peccatum non possit esse nisi a libera voluntate, non potest dari peccatum originale: si natura ipsa esset vitiata, admitteretur manichaeismus. Homines non moriuntur propter peccatum Adami, sed necessitate naturae, et ita Adamus ante peccatum mortuus esset. Infantes quidem recipiunt baptismum, sed non in remissionem peccatorum, et, sine baptismo, obtinent vitam aeternam, quanquam non ingrediuntur regnum Dei.

203. CONTROVERSIA PELAGIANA (410-431). Pelagius et Caelestius primo dogmatizaverant Romae. Minantibus vero Gothis Romae, fugerunt in Siciliam et mox in Africam. Caelestius ibi praedicavit, dum Pelagius transiit in Palaestinam (411). Damnatus est hoc anno Caelestius, et Augustinus incepit scriptis defendere doctrinam catholicam. Interea Pelagius approbabatur aut saltem non reprobabatur in synodo Diospolitana (415). Quod ubi cognitum est in Africa, adunatae sunt synodi Carthagine et Milevi (416), et damnati sunt Caelestius et Pelagius, resque delata est Inno-

---

(1) Aug., *De pecc. mer.*, 3, 5.
(2) Marius Mercator, *Liber subn.*, praef., 4.
(3) Aug., *De grat. Chr.*, 2, 13.

centio, qui confirmavit doctrinam Patrum Africanorum (417). Tunc exclamavit Augustinus: "Causa finita est: utinam aliquando finiatur error" (1).

Zozimus vero, Innocentii successor, primo benigne recepit Caelestium et Pelagium et improbavit episcopos Africanos. Isti autem firmi manserunt et in novo concilio Carthaginensi (418) damnationem confirmarunt. Re melius inspecta, Zozimus in *Epistola tractoria* damnavit Pelagium. Hanc epistolam probaverunt Imperatores, et omnes episcopi qui subscribere renuerunt missi sunt in exilium. Restiterunt pauci, duce Juliano. Pelagianismus de novo damnatus est in concilio Ephesino (431).

204. SEMIPELAGIANISMUS. Doctrina augustiniana non statim recepta est ubique. Ipse Augustinus debuerat explicare monachis Hadrumetanis liberum arbitrium non destrui a gratia, et cooperationem hominis requiri ad meritum (427). Oppositio major venit ex monachis Massiliensibus, qui opinabantur ipsa initia virtutis libertati et non gratiae esse tribuenda, etsi postea homo indigeat adjuvari ut ad consummationem virtutum perveniat. Extenuabant etiam doctrinam augustinianam de praedestinatione, quam docebant esse consequentiam praevisorum meritorum. Haec subtilior forma pelagianismi vocata est a saec. XVI semipelagianismus.

Liber *Collationum* Cassiani anno 426 vulgatus est. Statim denuntiatus est Augustino a Prospero Aquitano. Augustinus tempus habuit scribendi duos libros explanatorios *De praedestinatione sanctorum* et *De dono perseverantiae*, sed, mox cum mortuus esset (430), Prospero discipulo reliquit munus defendendi doctrinam suam contra Massilienses. Jamvero Prosper Romam venit et a Caelestino I litteras obtinuit, in quibus improbabantur episcopi Galliae meridionalis et laudabatur Augustinus (431), variisque scriptis doctrinam magistri egregie defendit, quam tamen paululum emollivit quoad praedestinationem et voluntatem salvificam Dei. Anno 434, Vincentius Lirinensis celeberrimum suum *Commonitorium* scripsit, sed mox controversia elanguit.

(1) Aug., Serm., 131, 10.

Renovata est circa 475, quando Faustus Regiensis, damnato Lucidio presbytero suo propter praedestinatianismum, scripsit tractatum *De gratia*. Liber male receptus est ab Orientalibus, quando cognoverunt illum ineunte VI saec. Rogantibus illis, Fulgentius Ruspensis plures refutationes scripsit (522-523). Caesarius Arelatensis, adunata synodo Arausicana II (529), pacem restituit. Definitum est gratiam esse necessariam etiam ad initium omnis operis salutaris et fidei (1). Finis fuit diuturnarum litium.

IV. Controversiae secundariae: origenismus; priscillianismus.

205. ORIGENISMUS (2). Origenes († 254-255) in innumeris operibus suis, sed praesertim in opere *De principiis*, opinando magis quam definiendo, erronea quaedam proposuerat: quamdam subordinationem Verbi, praeexistentiam animarum, apocatastasim universalem. Propter hos errores a quibusdam habitus est ut haereticus, dum alii, erroribus ejus dissimulatis, ad sidera eum tollebant.

Prima dissensio de Origene et doctrina ejus orta est inter monachos Aegyptiacos (c. 350), sed mox transiit ad monachos Palaestinenses. Ab anno 392, Joannes Jerosolymitanus et Rufinus defendebant Origenem, quem accusabant Epiphanius et Hieronymus. Quum Rufinus versionem libri *De principiis* ab erroribus expurgatam vulgasset (397), Hieronymus versionem accuratam confecit et protulit. Interea Theophilus, patriarcha Alexandrinus, inductus erat ab adversariis Origenis, monachis anthropomorphitis, ut magnum doctorem in synodo damnaret. Origenistae, ducibus *Fratribus longis* (3), relinquere Aegyptum debuerunt. Venerunt in Palaestinam et postea Constantinopolim, ad Chrysostomum, qui eos benigne accepit, aegre ferentibus Theophilo et Epiphanio. Theophilus obtinuit damnationem Origenis ab Anastasio I (400), et pacem non habuit donec Chrysostomus

---

(1) Maximam auctoritatem obtinuit concilium ex confirmatione solemni Bonifacii II (531).

(2) Prat, *Origène, le théologien et l'exégète*, Paris, 1907.

(3) Sic vocabantur quatuor duces eorum, propter proceram staturam.

damnatus est in synodo *Ad quercum* (1) et in exilium missus est (404).

Denuo efferbuit contentio origeniana inter monachos Palaestinenses circa 514. Discipuli S. Sabae, Sabaitae, adversarii Origenistarum, confugerunt ad Justinianum, qui, anno 543, edictum tulit, quo refutabantur errores Origenis et damnabantur. Haec damnatio recepta est ab episcopis Orientis et a legatis Summi Pontificis, et confirmata est a Concilio V (553), sed, ut videtur, in sessione extraconciliaria.

206. PRISCILLIANISMUS. Priscillianus, "familia nobilis, praedives opibus" (2), litteris profanis et sacris eruditus, laicus erat quando incepit dogmatizare in Hispania. Doctrina ejus erat mere ascetica, sed in errores gnostico-manichaeos lapsus est. Alterum quemdam (Deum) esse auctorem Veteris Testamenti profitebatur et apocryphos recipiebat. Ipse autem semper protestatus est se esse orthodoxum. Cum damnatus esset in synodo Caesaraugustana (380), electus est episcopus Albicellanus et Romam venit. Damasus vero noluit eum audire. Dein Maximus, qui sceptrum arripuerat in Gallia, capite eum plecti jussit propter crimen magiae (385). Hoc autem graviter improbavit Martinus Turonensis. Error Priscilliani diffusus est in tota Hispania post ejus mortem, ita ut damnari debuerit in synodo Toletana (447). Post synodum Bracarensem (563), de priscillianismo tacetur.

207. MASSALIANI. ANTIDICOMARIANI. Secta Massalianorum (*Euchitae, Orantes*) floruit in Asia Minori, saeculo IV exeunte. Quietistae erant, spernebant cultum externum, soli orationi instabant. Damnati sunt in concilio Ephesino (431).

Antidicomariani (*adversarii Mariae*) negabant Mariam virginem mansisse. Hos redarguerunt Epiphanius et Hieronymus (c. 400).

---

(1) Ipso Theophilo praeside, occasione nacta sermonis Chrysostomi.

(2) Sulp. Sev.

§ 3. Ecclesiastici scriptores

FONTES. Eorum opera.—Cf. Remy Ceillier, *Histoire générale des auteurs sacrés et ecclésiastiques*, 16 vol., 2 éd., Paris, 1858-1869. Bardenhewer, *Geschichte des altkirchlichen Litteratur*, Freiburg, 1902-1912; 3 vol. edita (1918). Id., Patrology, version by Shahan, Friburg, 1908.

208. AETAS AUREA LITTERARUM CHRISTIANARUM. Controversiae doctrinales hujus periodi tantam copiam maximorum scriptorum suscitaverunt ut merito dicenda sit aetas aurea litterarum christianarum. Floruerunt tam in Occidente quam in Oriente, praesertim ante medium saeculum V (325-450).

In Oriente, distinguuntur duae scholae quarum indoles et methodus diversae, immo oppositae erant: schola Alexandrina et schola Antiochena. Ex hac oppositione orta est controversia nestoriana (Antiocheni)—monophysitana (Alexandrini).

In Occidente etiam distingui possunt duae scholae: scriptores graecizantes, qui legerunt graecos auctores: Hilarius, Hieronymus, Rufinus, Marius Mercator, Cassianus; et schola stricte latina: Ambrosius, Augustinus, Leo Magnus.

I. PERIODUS MAXIMI SPLENDORIS (325-450).

1° *Scriptores Graeci.*

209. EUSEBIUS CAESAREENSIS (265-340). Natus c. 265, episcopus Caesareensis 313, mortuus 340. Amicus et consiliarius Constantini fuit. Multa scripsit apologetica, exegetica, dogmatico-polemica, sed praecipue historica. Merito vocatur pater historiae ecclesiasticae, accurate enim transcripsit in sua *Historia Ecclesiastica* innumera documenta antiqua nunc deperdita. Vitabat opiniones extremas, sed semiarianismum non cavit.

Opera (1).

Contra Hierocl.,	303	*Hist. eccl.*, ll. 1-9,	314
De mart. Palaest.,	313-314	*Praep. evang.*,	315-320

(1) *P.G.*, 19-24.

Dem. evang.,	p. 320	*De laud. Const.,*	335-336
Chronicon,	325	*De eccles. theol.,*	337
Hist. Eccl., l. 10,	324-325	*Vita Const.,*	338
De fest. Pasch.,	325	*Com. in Ps., in Is.*	
Onomasticon,	331	*Sermones.*	
Contra Marc.,	336	*Epistolae.*	

210. ATHANASIUS ALEXANDRINUS (294-373) (1). Natus 293-295, epicsopus Alexandrinus 328, exul Treviris 335-336, redux 337, exul secundo 339, redux 346, exul tertio 356, redux 362, exul quarto a Juliano 362, redux 363, exul quinto a Valente 365, redux 366, mortuus 373. Strenuus defensor fidei contra Arianos fuit. Invictus fuit contra haereticos, indulgens erga paenitentes. Sermo ejus elatione et vehementia non caret.

Opera:

Adv. gentes,	c. 318	*Hist. Arian. ad mon.,*	358
Litt. pasch.,	329-348, 367	*Vita Anton.,*	357-365
In Mt., 11, 27,	328-335	*De morte Ar.,*	358
Encyc. ad ep.,	339	*De Synod.,*	359
Apol. contra Ar.,	350	*Tom. ad Antioch.,*	362
De Nic. decr.,	351	*De fide,*	363
De sent. Dion.,	351	*De incarn. Verbi,*	c. 365
Ep. ad episc.,	355	*De Trin. et Spi. S.,*	c. 365
Orat. IV ad Arian.,	356-361	*Epistolae.*	
Apol. ad Const.,	357	*Sermones dubii.*	
De fuga,	357		

211. CYRILLUS JEROSOLYMITANUS (315-386) (2). Natus c. 315, sacerdos 343-345, episcopus Jerosolymitanus 348-350, ter exul (tertio 367-378), mortuus 386. Celeberrimas reliquit *Catecheses* quas praedicavit anno 348. Homiliae ejus deperditae sunt.

212. TRES CAPPADOCES. Basilius Magnus (330-379) (3). Natus 329-331, Athenis studens c. 350-356, bap-

---

(1) Bardy, *Saint Athanase*, Paris, 1914. *P.G.*, 25-28.

(2) Delacroix, *Saint Cyrille de Jérusalem*, Paris, 1865. *P.G.*, 33.

(3) Allard, *Saint Basile*, Paris, 1903. *P.G.*, 29-32.

tizatus, visitat monasteria Palaestinae, Syriae, Mesopotamiae, monachus 357-358, sacerdos 36[illegible] episcopus Caesareensis 370, mortuus 379. Dogmatica, ascetica, liturgica, homiletica reliquit. Excelluit sanctitate, doctrina, dicendi et agendi modo.

Opera:

Reg. monast.,	356-364	*Hom. in Hexam.*,	364-370
Contra Eunom.,	363-364	*De Spir. S.*,	c. 375
Homiliae.			
Epistolae.			
Liturgia.			

Gregorius Nazianzenus (329-390) (1). Natus 329, Athenis studens 350-357, baptizatus 357, sacerdos 362, consecratus episcopus Sazimensis 372, patriarcha Constantinopolitanus 380-381 (6 mens.), mortuus 390. Eloquens vir fuit, constantia autem animi carebat. Cognomen Theologi accepit propter *Orationes Theologicas*, eximium ejus opus.

Opera: *Orationes* 45, inter quas eminent
Orationes Theolog. 5, p. 380.
Poemata.
Epistolae 243.

Gregorius Nyssenus (335-395). Frater Basilii, natus c. 335, uxorem duxit, a Basilio episcopus Nyssenus factus 371, mortuus brevi post 394. Exegetica, dogmatica, homiletica reliquit. Philosophica expositione fidei eminet.

Opera:

De virgin.,	c. 371	*Orat. catech. magna*,	385
Hom. in Hexam.,	c. 379	*Homiliae.*	
De anim. et res.,	379	*Sermones.*	
Contra Eunom.,	a. 381	*Epistolae.*	

213. DIDYMUS CAECUS (313-398) (2). Natus c. 313, caecus a 4 vel 5 anno, "scholae Alexandrinae doctor" per 50 annos, perpetuo mansit laicus, sed ut "asceta" vixit(3), mortuus 398. Discipuli ejus fuerunt Hieronymus, Rufinus,

(1) Guignet, *Saint Grégoire de Nazianze*, Paris, 1912. *P.G.*, 35-38.

(2) Bardy, Didyme l'Aveugle, Paris, 1910. *P. G.*, 39.

(3) Palladius.

Cassianus. Unus e celeberrimis viris suae aetatis fuit. "Infinita" scripsit (1), fere omnia deperdita, exegetica et dogmatica. Remanent opera:

De Trin., p. 379 *De Spir. S.* ante 381
Contra Manich.

214. EPIPHANIUS (315-403). Natus c. 315, monachus c. 340, sacerdos, episcopus Salaminius 367, mortuus 403. Suo tempore ut doctissimus habitus, *pentaglôttos* (2), sed credulus, sermone nonnunquam vulgaris.

Opera (3): *Anchoratus*, 374
Panarium (hist. haer.), 374-377
De mensuris et pond., 392
Epistolae 2.

215. DIODORUS TARSENSIS. THEODORUS MOPSUESTENUS. JOANNES CHRYSOSTOMUS. Diodorus, episcopus Tarsensis 378, mortuus ante 394, fuit magister Theodori Mopsuesteni et Chrysostomi. Multa scripsit apologetica, dogmatica, exegetica, hodie deperdita.

Theodorus, natus c. 355, sacerdos 383, episcopus Mopsuestenus 392, mortuus 428, multa exegetica et dogmatica scripsit fere omnia deperdita. Docuit duas esse personas in Christo.

Joannes, propter eloquentiam cognomento Chrysostomus (4), natus Antiochiae 344, baptizatus c. 369, asceta 373, diaconus 381, sacerdos 386, patriarcha Constantinopolitanus 397, exul primo 403-404, exul secundo 404, mortuus 407 (14a sept.). Eloquentia, sanctitate, fortitudine celeberrimus fuit. Opera ejus sunt praesertim *Homiliae*, quibus interpretabatur Scripturam (praesertim Antiochiae, 386-397), et inter quas eminent *Homiliae in Mt.* 90.

Opera:

Ad Theod. laps.,	371-378	*Ad juv. vid.*,	380-381
Adv. opp. vit. mon.,	c. 376	*De sacerd.*,	381-385
Ad Stagyr.,	c. 380	*In Gen.* I-III,	386

(1) Hier., *De vir.*, 109.
(2) Hier., *Cont. Ruf.*, 2, 22.
(3) *P. G.*, 41-43.
(4) Puech, *Saint Jean Chrysostome*, Paris, 1905, *P.G.*, 47-64.

Hom. de obsc. proph.,	c. 386	*Hom. in Eph.*,	392-397
Hom. cont. Anom.,	386-387	*Hom. in Gal.*,	393-397
Hom. de Oz. et Ser.,	386-388	*Expos. in Ps.*,	393-397
Hom. de consubst.,	386-404	*Hom. in Ph.*,	393-397
Hom. ad cat., de daem., de Ann., de stat.,	387	*Hom. in II Tim.*,	393-397
		De virg.,	ante 397
Hom. in princ. Ac.,	388	*Hom. in Is.*,	c. 397
Hom. in Gen.,	388-395	*Hom. in Col.*,	399
Hom. in Jo.,	388-389	*Hom. in II Thes.*,	400
Hom. in Mt., (90)	c. 390	*Hom. in Ac.*,	400-401
Hom. in Rom.,	391	*Hom. in Heb.*,	c. 402
Hom. in I Cor.,	c. 392	*Epistolae* c. 240	
De educandis lib.,	c. 393	Alia plura.	

216. CYRILLUS ALEXANDRINUS (+ 444). Nepos Theophili, comes ejus in synodo *ad quercum* 403, ejus successor 412, mortuus 444. Multa scripsit exegetica, dogmatica, polemica contra Nestorium, homiletica. Ipse fatetur se de arte scribendi non curare.

Opera (1):

Hom. pasch.,	a. 428	*Adv. Nest.*,	430
Thes. de Trin.,	a. 428	*Anath.*,	430
Dial. de Trin.,	a. 428	*Apol. cont. Orient.*,	431
Com. in Gen., in Ps., in Is., in Joel, in Mt.,	a. 428	*Expl. XII capit.*,	431
		Ad. nol. conf. Deip.,	435-440
Com. in Lc., in Jo., in Rom.,	p. 428	*Quod unus sit Ch.*,	435-440
		Contr. Julian.,	433
Schol. de inc.,	429	*Hom. pasch.*	
De recta fid. ad Reg.,	430	*Epistolae.*	

217. THEODORETUS CYRENSIS (393-458). Natus c. 393, a tenera aetate clericus, episcopus Cyrensis 423, mortuus 458. Adversarius fuit Cyrilli Alexandrini. Copiose et docte et attice scripsit. Christologia ejus magis incompleta quam erronea est. Exegetica et dogmatico-polemica scripsit, quorum plura sunt deperdita.

Opera (2):

De provid.,	430-432	*Anatrope*,	431

(1) *P.G.*, 68-77.
(2) *P.G.*, 80-84.

Graec. aff. cur.,	429-437	*Eranistes*,	447
Com. in Ep. P.,	431-435	*Haer. fab. comp.*,	p. 451
De incarn.,	431-435	*Com. in Octat.*,	p. 453
De Trin.,	431-435	*Com. in Reg., in Par.*,	p. 453
Com. in Ps.,	433-445	*Homiliae*.	
Hist. monach.,	c. 444	*Epistolae*.	
Hist. eccles.,	c. 450		

218. AUCTORES SECUNDARII. Alexander Alexandrinus (311-328) reliquit quasdam *Epistolas* et *Homilias* contra Arianos.

Eustathius, confessor, episcopus Antiochenus 323, exul 330, mortuus ante 337, scripsit exegetica, homilias, epistolas, contra Arianos.

Georgius Laodicensis (c. 335-360) nonnulla semiariana scripsit.

Hegemonius scripsit c. 350 *Acta Archelai* contra Manichaeos.

Eusebius Emesenus (+ c. 359) multa rhetorice scripsit nunc deperdita.

Serapion Thmuensis (+ p. 359) "edidit adversum Manichaeum egregium librum et utiles epistolas" (1), euchologium.

Acacius Caesareensis (c. 340-366) "diversos tractatus" (2) et exegetica quaedam, quorum fragmenta inveniuntur in catenis, reliquit.

Marcellus Ancyranus (a. 325-c. 374) librum valde disputatum composuit anno 335, dein "multa scripsit volumina, maxime adversus Arianos" (3), nunc deperdita. Damnatus est concilio Constantinopolitano (381).

Basilius Ancyranus (336-p. 363), antea medicus, dux semiarianorum, "scripsit contra Marcellum et de virginitate librum (forsan sub nomine Basilii Magni servatum) et nonnulla alia" (4).

Titus Bostrensis (+ a. 378) scripsit contra Manichaeos, homilias in *Lc.*

(1) Hier., *De vir.*, 99.
(2) Hier., *De vir.*, 98.
(3) Hier., *De vir.*, 86.
(4) Hier., *De vir.*, 89.

Eustathius, natus c. 300, episcopus Sebastenus 355, mortuus c. 380, semiarianus, scripsit plures epistolas contra Basilium Magnum.

Petrus (373-381), et Timotheus (381-385), successores Athanasii, reliquerunt epistolas.

Theophilus Alexandrinus (385-412) litteras paschales reliquit.

Macarius Aegyptius (c. 330-390) scripta ascetica reliquit.

Evagrius Ponticus (345-399) sententias asceticas composuit.

Amphilochius, natus c. 345, Constantinopoli studens 364, monachus 371, episcopus Iconiensis 373, mortuus p. 394. Amicus fuit Cappadocum. Magnam habuit auctoritatem. Reliquit epistolas, sermones, polemica.

Apollinaris Junior, natus c. 310, episcopus Laodicensis c. 361, mortuus c. 390. "In sanctas scripturas innumerabilia scripsit volumina" (1), brevissime tamen commentans. Scripsit contra Porphyrium, Julianum, Eunomium, Marcellum Diodorum, etiam metrica.

Asterius Amastrinus (c. 378-p. 400) homilias multas composuit.

Polychronius Apameensis (c. 400-p. 428), frater Theodori Mopsuesteni, commentaria in Scripturam, quorum fragmenta in catenis servantur, composuit.

Nectarius (381-397), Atticus (406-425), patriarchae Constantinopolitani, quosdam sermones reliquerunt.

Episcopi, qui cum Theophilo damnaverant Chrysostomum, Acacius Beroeensis († c. 432), Antiochus Ptolemaidensis († c. 400), Severianus Gabalensis († p. 408), reliquerunt quasdam homilias. De Severiano haec habet Gennadius: "In divinis scripturis eruditus et in homiliis declamator admirabilis fuit" (2).

Philostorgius, (c. 364-425) scripsit *Historiam ecclesiasticam* Arianis faventem.

Socrates Eusebii *Historiam* continuavit (305-439) ante annum 450 magna cum auctoritate.

---

(1) Hier., *De vir.*, 104.
(2) Genn., *De vir.*, 21.

Sozomenus scripsit *Historiam ecclesiasticam* (325-425) circa annum 444, non tamen cum eadem auctoritate.

Palladius (c. 368-430) *Historiam Lausiacam* (ad Lausum quemdam), nempe vitas monachorum, reliquit.

Isidorus (c. 370-440), Pelusiota abbas, scripsit 2000 epistolas.

Constitutiones Apostolicae (c. 400) sunt compilationes ex *Didascalia Apostolorum*, ex *Didache*, ex *Didascalia aegyptiaca* (Hippolyti?), ex *Canonibus Apostolorum*. Liber VIII continet liturgiam completam.

Affines sunt *Testamentum Domini* (V saec.), *Canones Hyppolyti* (V saec.).

2° *Scriptores latini.*

219. HILARIUS PICTAVIENSIS (c. 310-367) (1). Natus ante 310, conversus c. 340, episcopus Pictaviensis c. 350, exul in Phrygia 356, redux 360, mortuus 367. Vir sollerti ingenio fuit, sed nonnunquam arcessito utitur sermone. Strenue fidem contra Arianos in Occidente defendit.

Opera:

Com. in Mt.,	a. 355	*Contra Const.,*	360
Ad. Const., I,	355	*Tract. in Ps.,*	p. 365
De Trin.,	356-359	*Contra Aux.,*	365
Ad Const., II,	360	*Fragm. op. hist.*	

220. AMBROSIUS MEDIOLANENSIS (333-397) (2). Natus e nobili familia 333 vel 340, praefectus c. 370, electus episcopus Mediolanensis 374, baptizatus est et ordinatus est, mortuus 397 (4a ap.). "Suavitate sermonis" (3), animi fortitudine, praestantia doctrinae, vitae sanctitate claruit.

Opera:

De virginib.,	377	*De parad., de Cain,*	c. 380
De vid., de virg.,	377-378	*De Noe et arca,*	c. 380
De fide,	378-380	*De Spir. S.,*	381
De exces. frat.,	379	*De inc. Dom. sacr.,*	382

(1) Girard, *Saint Hilaire*, Angers, 1905. *P.L.*, 9-10.
(2) De Broglie, *Saint Ambroise*, Paris, 1901. *P.L.*, 14-17.
(3) Aug., *Conf.*, 5, 13.

De interp. Job et Dav.,	383	*De Isaac et anim.,*	388-390
Ap. proph. Dav., de paen.,	383-385	*De bono mort.,*	388-390
Com. in Lc.,	385-387	*De fuga saec.,*	388-390
Contra Auxent.,	386	*De Jac. et vit. beat.,*	388-390
De Tobia,	p. 386	*De Jos.,*	388-390
De Elia et jejun.,	p. 386	*De bened., patriar.,*	388-390
De Nabute,	p. 386	*De inst. virg.,*	391-392
De offic. min.,	p. 386	*Exhort. virg.,*	394-395
Com. in Ps. 118,	386-388	*De ob. Valent.,*	392
Hexaemeron,	386-389	*De ob. Theod.,*	395
De Abraham,	388-390	*De mysteriis,*	?
		Epistolae.	

221. HIERONYMUS (342-420) (1). **Natus** c. 342 in **Dalmatia, studens Romae** c. 362, monachus in Oriente 373-378, sacerdos c. 380, Constantinopoli 380-382, Romae a secretis Damasi 382-384, solitarius Bethleem 386, mortuus 420 (30a sept.). Omnium Patrum doctissimus, scribendi arte eminens, propter Scripturae versionem aut emendationem textus aut interpretationem nunquam satis extollendus.

Opera:

Emend. Vers. Lat.,	a. 383	*Adv. Jovin.,*	c. 392
Em. II sec. Hexap.,	386-c.392	*De vir. ill.,*	392
Vers. Vet. Tes.,	390-405	*Com. in Joan.,*	395-396
Vit. Pauli mon.,	376	*Cont. Joan. Jer.,*	398-399
Contra Luc.,	382	*Com. in Mt.,*	398
Euseb. chron.,	c. 380	*Com. in Ps.,*	392-401
Adv. Helv.,	c. 383	*Apol. adv. Ruf.,*	402
Com. in Gal.,	386-387	*Cont. Vigil.,*	406
Com. in Eph.,	386-387	*Com. in Is.,*	408-410
Com. in Tit.,	386-387	*Adv. Pelag.,*	415
Com. in lib. Sal.,	389-390	*Com. in Jer.,*	415-420
Com. in Eccles.,	389-390	*Homiliae.*	
Com. in Mich.,	c. 392	*Epistolae* celeberrimae.	
Com. in Hab.,	c. 392	*Versiones* graec. script.	

222. AUGUSTINUS. (354-430) (2). Natus 354, dissolutus 370, quaerens veritatem in manichaeismo 373, scep-

(1) Largent, *Saint Jérôme*, Paris, 1898. *P.L.*, 22-30.
(2) Hatzfeld, *Saint Augustin*, Paris, 10 éd., 1912. *P. L.*, 32-45.

ticus (academicus) 383, conversus 385, baptizatus 387, sacerdos 389, episcopus Hipponensis 396, mortuus 430 (28a aug.). Acumine ingenii, profunditate doctrinae, ubertate expositionis, praecellit omnes. Nec minus claruit vitae sanctitate.

Opera:

Cont. Academ.,	386	*De Gen. ad litt.,*	401-415
De beat. vit.; De ord.,	386	*De nat. boni,*	405
Soliloq.,	387	*Cont. Secund.,*	405-406
De imm. anim.,	387	*Cont. Crescon.,*	406
De quant. anim.,	387-388	*De unic. bapt.,*	410
De mor. Eccl.,	388	*Brev. collat.,*	411
De Gen. cont. Man.,	388-390	*Lib. cont. Donat. p. coll.,*	412
De lib. arb.,	388-395	*De pecc. mer. et de bap. par.,*	412
De magist.,	389	*De sp. et litt.,*	412
De vera rel.,	389-391	*De fide et oper.,*	413
De div. quaest.,	389-396	*De civ. Dei,*	413-426
De util. cred.,	391-392	*De bono viduit.,*	414
De duab. anim.,	391-392	*De nat. et grat.,*	415
De fide et symb.,	393	*De perf. just. hom.,*	415
De Gen. ad lit. l. I,	393-394	*Cont. prisc. et origen.,*	415
De serm. Dom.,	393-396	*Enarr. in Ps.,*	391-415-
Contra Adimant.,	393-396	*In Jo. ev., tr. 124,*	416-417
Exp. Ep. ad Gal.,	393-396	*In ep. Joan.,*	416
De mend.; De cont.,	394-395	*De gest. Pel.,*	417
De div. q. ad Simp.,	396-397	*De patient.,*	a. 418
De agon. christ.,	396-397	*De grat. Christi,*	418
Cont. ep. Fund.,	397	*De conjug. adult.,*	419
De doct. christ.,	396-	*Locution. l. VII*	419
Ann. in Job.,	397-400	*Quaest. l. VII,*	419
De cat. rud.,	400	*De nupt. et cons.,*	419-420
Conf.,	400	*De an. et ejus orig.,*	419-420
Cont. Faust.,	400	*Cont. 2 ep. Pelagian.,*	420
De cons. Evang.,	400	*Cont. mendac.,*	420
Cont. ep. Parm.,	400	*Cont. Gaudent.,*	420
De baptism.,	400	*Cont. adv. Leg. et Prop.,*	420
De sanct. virg.,	400-401	*Cont. Julian.,*	421
Cont. litt. Petil.,	400-402	*Enchir.,*	421
De Trin.,	400-416		

De cura pro mort., 421
De 8 Dulcit. quaest., 422
Ep. 211 *ad monial.*, (regula) 423
De grat. et lib. arb., 426-427
De corr. et grat., 426-427
Retract., 426-427
Specul., 427
Col. cum Max.; cont. Max., 428
De praed. sanct., 428-429
De dono persev., 428-429
Op. cont. Julian., 429-430
Epistolae.
Sermones (400).

223. AUCTORES SECUNDARII. 1° 325-400. *Itinerarium Burdigalense* (in Palaestinam) scriptum est anno 333.

Juvencus circa 330 versibus transcripsit quatuor evangelia.

Firmicus Maternus circa 347 scripsit apologiam *De errore profanarum religionum.*

Chronographus anonymus 354 est compilatio historica religiosa et profana.

Marius Victorinus, rhetor, in senectute conversus c. 355 (1), mortuus c. 370, quaedam scripta antiariana et exegetica reliquit.

Lucifer Calaritanus, exul 356-361, mortuus 370-371, acerbissimos libellos scripsit contra Constantium in exilio suo.

Eusebius Vercellensis (c. 345-371), exul 356-361, reliquit 3 epistolas et forsan codicem evangeliorum (a) manu sua descriptum.

Fortunatianus Aquileiensis (c 340-p. 368) "rustico sermone scripsit commentarios" (2).

Ambrosiaster (Hilarius quidam) scripsit *Commentarium in Ep. Pauli* circa 370-375.

Zeno Veronensis (362-380) reliquit 93 *Sermones.*

Faustinus et Marcellinus, presbyteri Romani, Hilarius, diaconus Romanus, libellos luciferianos scripserunt circa 380.

Damasus papa (366-384) supra commemoratus est

(1) "Mirante Roma, gaudente Ecclesia". Aug., *Conf.*, 8, 2, 4.
(2) Hier., *De vir.*, 97.

Priscillianus († 385) "edidit multa opuscula" (1), quorum quaedam nuper reperta sunt.

Optatus Milevitanus († a. 400) 7 libros *Contra Donatistas* scripsit circa 385.

Aetheriae peregrinatio ad loca sancta facta et descripta est 385-388.

Pacianus Barcinonensis († a. 392), "tam vita quam sermone clarus" (2), varia opuscula scripsit; servatae sunt 3 epistolae *Contra Novatianos.*

Phaebadius Agenninus († p. 392) *Contra Arianos* libellum confecit citando Tertullianum et ex Hilario multa mutuando.

Gregorius Eliberitanus († p. 392, in extrema senectute) redditur auctor libri *De fide* scripti anno 360-361, et aliorum tractatuum.

Philastrius Brizianus († a. 397) *Librum de haeresibus* (150) scripsit imitando Epiphanium.

Ausonius (c. 310-393), rhetor, poeta, consul, quosdam versus christianos composuit.

Tyconius, donatista, scripsit *Librum regularum* (7) ad interpretandam Scripturam, non spernendum et non spretum, et alia.

Wulfila (c. 345-383), apostolus Gothorum, fertur plura scripsisse praeter *Versionem* Scripturarum *gothicam* ab ipso exornatam.

Hilarianus c. 397 scripsit *De ratione paschae.*

2° 400-450. *Opus imperfectum in Mt.* scriptum est circa 400.

Gaudentius Brizianus († p. 404) *Homilias* reliquit.

Prudentius (348-p. 405), apologeticos, polemicos, lyricos versus non spernendos composuit.

Victricius Tridentinus (385-405),

Chromatius Aquileiensis (c. 388-407),

Victricius Rotomagensis (c. 380-407), epistolas aut tractatus reliquerunt.

---

(1) Hier., *De vir.*, 121.

(2) Hier., *De vir.*, 106.

Rufinus, natus c. 345, monachus, mox baptizatus 371, in Aegypto 371-377, in Palaestina 377-397, sacerdos c. 390, Romae 397, Aquileiae 400, mortuus Messinae 410, multa vertit ex graeco, continuavit Eusebii *Historiam* ad 395, aliaque scripsit.

Orientius, gallus, (episcopus Auscensis), scripsit *Commonitorium* metrice p. 400.

Nicetas Remesianensis († p. 414) quaedam scripta reliquit inter quae forsan annumerandum est *Te Deum.*

Paulus Orosius, "religiosus juvenis presbyter" (1), scripsit *Historiarum adv. Paganos lib. 7*, c. 418.

Sulpicius Severus (c. 363-c. 425) monachus a 392, reliquit *Chronicorum lib. 2*, magni pretii, et *Vitam Martini.*

Leporius, gallus monachus, scripsit *Libellum emendationis* 426.

Philippus Sidensis, amplissimam *Christianam Historiam* 426, cujus fragmenta quaedam supersunt, et alia.

Paulinus Nolanus, Burdigalae natus 353, praefectus Campaniae 379, baptizatus c. 390, presbyter in Hispania 394. Nolae asceta 395, episcopus Nolanus c. 409, mortuus 431, egregia composuit *Carmina natalitia* (in natali S. Felicis) et alia, et epistolas.

Cassianus, natus 360, monachus, in Aegypto c. 385-400, Constantinopoli 400-403, dein monasteria condens Massiliis, mortuus c. 435, reliquit: *De instit. coenobiorum* a. 426, et *Collationes* 419-428, *Adv. Nest.* 430.

Sedulius celebre *Carmen Paschale* metrico sermone composuit circa 440, a quo desumptus est hymnus *A solis ortu,* diei Natalis.

Vincentius Lirirensis († c. 450) *Commonitorium* insigne scripsit an. 434.

Arnobius Junior, gallus clericus, scripsit *Praedestinatus* 432-439, *Com. In Ps.* c. 450, et alia.

Eucherius, monachus Lirinensis 436, episcopus Lugdunensis c. 440, mortuus c. 450, plures libellos, inter quos *Formulas spiritualis intelligentiae,* composuit.


---

(1) Aug., *Ep., anno* 414.



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART

(ANSI and ISO TEST CHART No. 2)



APPLIED IMAGE Inc
1653 East Main Street
Rochester, New York 14609 USA
(716) 482 - 0300 - Phone
(716) 288 - 5989 - Fax

Marius Mercator, laicus, discipulus Augustini, Constantinopoli 429-c. 451, plura polemica contra Pelagianos et Nestorianos scripsit.

Petrus Ravennatensis (+ c. 455), propter eloquentiae flumen vocatus est Chrysologus. Ipsius servantur 176 *Sermones.*

Hilarius, monachus Lirinensis, episcopus Arelatensis 429, mortuus c. 455, *Sermones* et *Epistolas* reliquit.

Valerianus Cemeliensis (+ c. 460) *Homilias* 20 scripsit.

Leo Magnus (440-461) jam supra commemoratus est.

3° *Auctores syriaci* (1).

224. AUCTORES PRAECIPUI. Aphraates (+ 367), "sapiens Persa", scripsit 22 *Homilias* alphebeticas 1-10, 336-337, 11-22, 344-345.

Ephrem, diaconus Edessenus, natus c. 306, mortuus 373, innumera fere scripsit (3 000 000 versus, juxta Sozomenum): hymnos, homilias, carmina, commentaria.

Rabulas Edessenus (401-435) *Epistolas, Hymnos,* reliquit.

II. PERIODUS MINORIS SPLENDORIS (450-692).

1° *Scriptores graeci.*

225. AUCTORES PRAECIPUI 450-600. Pseudo-Dionysius Aeropagita, cujus scripta *De divinis nominibus, De mystica theologia, De caelesti hierarchia, De hierarchia ecclesiastica,* citata fuerunt prima vice a Severianis (monophysitis) anno 531, in controversia habita cum orthodoxis, ipsis vero reclamantibus, est eximius auctor philosophia neoplatonica imbutus. Scripsit c. 500.

Leontius Byzantinus, monachus, consiliarius Justiniani, mortuus c. 543, vocatus est "primus scholasticus". Scripsit *Adversus nestorianos et eutychianos* libros tres p. 529, et plura alia praesertim contra Severum Antiochenum.

Justinianus imperator (527-565) praeter multa edicta tractatus polemicos composuit.

(1) Duval, *La littérature syriaque*, Paris, 1907.

Severus Antiochenus, pisidicus, post studia facta Alexandriae baptizatus 486, monachus palaestinensis, episcopus Antiochenus 512, mortuus 538. Discipulus Cyrilli, antichalcedonensis, copiosus fuit defensor doctrinae monophysitanae, verbis forsan magis quam mente haereticus. Pleraque ejus opera sunt adhuc inedita.

226. AUCTORES SECUNDARII 450-600. Romanus (in. saec. VI) pulcherrimos hymnos composuit.

Procopius Gazensis (c. 465-527), rhetor, exegetica composuit (1).

Olympiodorus († c. 540) exegetica reliquit.

Ephrem Antiochenus (529-545) scripsit contra Severianos. Fragmenta tantum supersunt.

Cosmas Indicopleustes († 548), mercator alexandrinus, deinde monachus sinaiticus, *Topographiam christianam* (547), et alia etiam exegetica scripsit.

Evagrius Scholasticus (536-p. 594), advocatus antiochenus, multa scripsit pro patriarcha Gregorio (569-594), et ita inductus est ut *Historiam ecclesiasticam* continuaret a 431 ad 593: quod autem fecit fideliter, etsi credulus nonnunquam sit.

Anastasius Antiochenus (559-599), exul 22 an.,

Eulogius Alexandrinus (580-607) memorari possunt.

Joannes Moschus, monachus palaestinensis, orientalia monasteria omnia visitavit, et *Pratum spirituale* (pias legendas monachorum) Romae composuit, ubi etiam mortuus est 619.

227. AUCTORES VII SAECULI (600-692). Sophronius monachus Jerosolymitanus a 580, amicus et comes Moschi in itineribus ejus, patriarcha Jerosolymitanus 634, mortuus 638, hagiographica, homiletica, polemico-dogmatica, lyrica composuit.

Maximus Confessor, natus c. 580, primo aulicus, monachus Chrysopolitanus c. 626, dux oppositionis contra monothelitas in Africa c. 640, Romae 647, abductus Constanti-

---

(1) Procopius Caesareensis (+p. 562), Justiniani historiographus fuit.

nopolim 653, exul 655, mortuus 662. Multa scripsit exegetica, patristica, polemica, ascetica, plures epistolas, partim adhuc inedita.

Anastasius Sinaiticus abbas, (c. 640-c. 700), praeter *Hodegos* (*dux viae, sc. in fide*), alia composuit partim deperdita, partim inedita.

Joannes Climacus (c. 525-p. 600), monachus et abbas sinaiticus, scripsit celeberrimum opus *Scalam* (*Klimax*) *paradisi*, in quo describuntur 30 gradus vitae perfectae.

Thalassius (+ c. 650), monachus africanus, Maximi Confessoris amicus,

Gregorius Agrigentinus (+ c. 630), exegeta, memorari possunt.

Chronicon Paschale est compilatio chronologica ab Adamo ad an. 629.

2° *Scriptores latini.*

228. AUCTORES PRAECIPUI 450-600. Prosper aquitanus (c. 390-c. 460), laicus, discipulus Augustini, quem variis scriptis: *Ep. ad Ruf.*, *Carm. de ing.*, *Epit. pelag. et nest. haer.*, *Pro Aug. resp.*, *De grat. et lib. arb.*, contra semipelagianos defendit. Scripsit etiam *Chronicon* p. 455.

Faustus Rejiensis, natus c. 408, abbas Lirinensis 433, episcopus Rejensis c. 458, mortuus c. 490, scripsit *De gratia Dei* c. 475, quo favet semipelagianismo.

Salvianus (+ p. 480), presbyter Massiliensis, scripsit *Contra avaritiam* 435-439, et eximium opus *De gubernatione Dei*, quandoque tamen intemperatum, 439-451, et alia deperdita.

Gennadius (+ c. 495), presbyter Massiliensis, opus Hieronymianum *De viris illustribus* retractavit et complevit ad sua tempora (c. 480), scripsitque etiam *De ecclesiasticis dogmatibus* (c. 470) et de aliis.

Fulgentius Ruspensis, natus 468, procurator, p. 500 monachus, episcopus Ruspensis 508, mortuus c. 533. Scripsit *Contra Arianos* c. 515, *De remis. pecc.*, 519-523; *De ver. praed.*, 523; *Ad. Vict.*, c. 525; *De fide ad Petrum*; *Sermones*; *Epistolas*, praesertim contra pelagianos.

Caesarius Arelatensis, natus 470, monachus Lirinensis 490, episcopus Arelatensis 502, mortuus 542. Celeberrimus praedicator fuit; quotidie fere praedicabat. Eminet etiam rebus gestis et defensione primatus romani.

Boethius, natus c. 480, senator, consul 510, consiliarius Theodorici, occisus jussu regis 524. Scripsit in carcere celeberrimum opus *De consolatione philosophiae,* aliaque scripta theologica dubie ipsi tribuuntur.

Cassiodorius, natus c. 480, senator, consul 514, minister Theodorici et successorum, monachus in monasterio Vivario a se condito c. 540, mortuus c. 570. Scripsit multa sacra et profana: *Chronicon* 519; *De orig. act. Getarum* 526-533 (1); *Variae* 534-538; *De anima* 535; *Institutiones* 544; *in Ps., in Ep., in Act.,* p. 544; *Hist. eccl. trip.* (ex Soc., Soz., et Theod. concinnata).

Gregorius Turonensis, natus 539, episcopus Turonensis 573, mortuus 594, celeberrimam scripsit *Historiam Francorum.*

229. AUCTORES SECUNDARII 450-600. Maximus Taurinensis (c. 390-c. 470) *Sermones* plures reliquit.

Hydacius Lemicus (395-470) scripsit *Chronicon* pro historia hispanica pretiosum.

Claudianus Mamertus (+ c. 474) scripsit *De statu animae* c. 470.

Sidonius Apollinaris, natus c. 430, rhetor, episcopus Claromontanus c. 470, mortuus c. 484, *Epistolas* et *Carmina* reliquit.

Victor Vitensis (+ p. 486) scripsit *Historiam persecutionis* Africanae provinciae.

Avitus Viennensis (+ 518) scripsit *Contra Eutychianam haeresim* (512-513).

Vigilius Tapsensis (+ c. 519) scripsit *Contra Eutychen* lib. 5 aliaque deperdita.

Ennodius, natus 473, diaconus Mediolanensis 496-512, episcopus Papiensis 514, mortuus 521, *Epistolas, Libellos, Versus* tumido sermone exaravit.

---

(1) Abbreviata a Jordanis (Jornandes) (+c. 560) anno 551.

Facundus Hermianensis, anno 548, scripsit *Pro defensione 3 capit.*

Dionysius Exiguus, (+ ante 544), monachus romanus, *Collectiones conciliorum* et *Decretalium* fecit, scripsit *De Paschate* (1), multaque vertit graeca in linguam latinam.

Junilius Africanus, circa 550, scripsit *Instituta regularia divinae legis.*

Primasius Hadrumetanus (+ c. 560) scripsit lib. 5 *De Apocalypsi.*

Rusticus, diaconus romanus, scripsit *Contra Acephalos* (monophysitas) circa 552.

Liberatus, diaconus Carthaginensis, scripsit *Breviarium causae Nestorianorum et Eutychianorum* circa 560.

Martinus Bracarensis, natus in Pannonia 510-515, in Hispania c. 550, mortuus 580, *Collectionem* canonum, *Capitula Martini,* fecit, aliaque moralia et ascetica scripsit.

Cresconius (episcopus africanus?) *Breviarium* et *Concordiam canonum* concinnavit exeunte saec. VI.

230. AUCTORES VII SAECULI (600-692). 1° *Majores.* Gregorius Magnus, supra commemoratus.

Isidorus Hispalensis, natus c. 560, episcopus Hispalensis 603, mortuus 636. "Vir in omni locutionis genere formatus" (2). Multum scripsit: *De officiis eccles.; Sententiarum lib.* 3; in fine vitae corpus quoddam omnium scientiarum: *Etymologiarum lib.* 20 (quos complevit Braulio + c. 651). Litterae multum debent Isidoro, carebat tamen ingenio vere scientifico.

Liber Pontificalis, seu historia Summorum Pontificum, in sua antiquiori parte scriptus est Bonifacio II (530-532) regnante, ex fonte *Catalogo Liberiano* (e.i., SS. PP. usque ad Liberium). Continuatio operis usque ad Conon (+ 687) invenitur in *Catalogo Cononiano* Tandem varii auctores illud prosecuti sunt usque ad Hadrianum II (+ 872).

Libri paenitentiales varii conscripti sunt ab anno circiter 600.

---

(1) Ipsi debetur computatio ab anno Christi nati.
(2) Braulio, ejus coaevus et amicus.

Bobbiense, Gothicum, Gallicanum vetus Missale VII saec. scripta sunt.

2° *Minores.* Venantius Fortunatus (c. 535-p. 600), poeta, scripsit inter alia: *Vexilla Regis, Quem terra pontus aethera, Pange lingua* (Pass.)

Columbanus Junior († 615), fundator monasterii Bobbiensis reliquit *Regulam, Paenitentialem librum, Sermones, Epistolas, Commentarium in Ps.*

Joannes, Biclarensis abbas 586, episcopus Geronensis 591, mortuus 621, composuit *Chronicon* hispanicum (a 567 ad 590).

Fructuosus Bracarensis († c. 665) regulas monasticas 2 reliquit.

Eugenius Toletanus II († 657),

Hildefonsus Toletanus († 667), (*De virginitate Mariae*),

Julianus Toletanus (690), memorari possunt.

Theodorus Cantuariensis († 690) composuit *Paenitentialem* librum.

3° *Scriptores orientales.*

231. AUCTORES SYRIACI ET ARMENI 450-692.

I Syriaci (1) 1° *Orthodoxi.* Isaac Antiochenus († c. 461), Magnus dictus, homilias et carmina composuit.

2° *Nestoriani.* Barsaumas, post 457 fundavit scholam Nisibenam, homilias, carmina, epistolas, liturgiam reliquit.

Narses († c. 507), "cithara Spiritus Sancti", multa carmina composuit.

Hannana († p. 590) commentaria et homilias scripsit.

Jesujab I, patriarcha Nestorianorum (582-595) varios tractatus et epistolas scripsit.

Theodorus bar Koni (in. VII saec.),

Jesujab II (628-...),

Jesujab III (650-660),

Joannes a Beit Garmai (c. 660),

Georgius patriarcha (660-680),

(1) Duval, *La littérature syriaque*, Paris, 1907.

Henanjesus I (686-701), homilas, epistolas, varios tractus reliquerunt.

3° *Monophysitae* (Jacobitae). Jacobus Sarugensis (451-521) multas homilias metricas, epistolas, et alia scripsit.

Philoxenes Mabbugensis (485-c. 523) eminet inter omnes auctores syriacos; multa scripsit fere omnia inedita.

Jacobus Baradaeus (+ 578) pauca scripsit.

Joannes Ephesinus (+ p. 585) optimam scripsit *Historiam ecclesiasticam*, et alia.

Abudemmeh Tagritensis (559-575),

Petrus Callinicos, patriarcha Antiochenus (578-591), varios tractatus scripserunt.

Marutas Tagritensis (640-649) nonnulla reliquit.

Jacobus Edessenus (c. 633-708), polygraphus, innumera metrice et soluta oratione scripsit.

Georgius, episcopus Arabum 686-724,

Joannes Maron, memorari possunt.

II Armeni. Mesrop (+ 441) invenit litteras armeniacas et Scripturam vertit.

Eznik (+ c. 487), Mesropi discipulus, *Refutationem haereseon* non spernendam scripsit.

Moses Chorenensis (V saec.) opera historica maximi pretii pro Armeniaca historia.

Sebeos (VII saec.) historica etiam reliquit.

TABULA SYNCHRONICA GENERALIS

U.C.	a.C.	Sum. Pont.	Imp. Rom.		Praecipui eventus
724	30		Augustus		
749	5			Jesus nascitur	
750	4				Herodes moritur
	p. C.				
754	1				Jesus nascitur juxta Dionysium
761	8			venit Jerusalem	
765	12				Tiberius imperii socius
767	14		Tiberius		
779	26			ministerium inc.	Pilatus procurator Judaeae
781	28	Petrus			
783	30			Moritur (7a ap.)	Descendit Spir. S. (28a maji)
	33				Persecutio. Stephanus martyr (alii 34)
	36			Paulus conversus	
	37		Caligula		
	39			evasio a Damasco	
	41		Claudius		Herodes rex Palaestinae
	42	abit in alium locum			Persecutio (42-44)
	43			in Jerusalem	
	44				Herodes moritur. Procuratores
	45			1a missio (45-49)	
	50			2a missio (50-53)	Judaei expulsi a Roma. Concilium Jerosolymitanum. Felix procurator
	52				
	53			3a missio (53-57)	
	54		Nero		
	57			custodia Caes. (57-60)	
	60				Festus procurator
	61			custodia Rom. (61-63)	
	63			Iter apostolicum	
	64				Persecutio romana
	66			2a custodia Rom.	Rebellio Judaeorum

67	Linus		Petrus et Paulus Martyres. **Vespasianus** occupat Galilaeam
68		Galba. Otho Vitellius	
69		Vespasianus	
70			Jerusalem capta a Tito
76	Anacletus		
79		Titus	
81		Domitianus	
88	Clemens I		
94			Persecutio
96		Nerva	
97	Evaristus		Joannes exul in insula Patmos
98		Trajanus	Joannes moritur (?). Persecutio
100			
105	Alexander I		
107			Ignatius Antiochenus martyr
112			Rescriptum Trajani
115	Sixtus I		
117		Hadrianus	Persecutio
120			Basilides (c. 120-140)
125	Telesphorus		Rescriptum Hadriani
132			Rebellio Judaeorum. Saturninus
136	Hyginus		
138		Antoninus	
140	Pius I		Valentinus
150			Justini Apologia I
155			Polycarpus martyr
156	Anicetus		
161		Marcus Aurelius	
163			Justinus martyr
166	Soter		Montanus praedicat in Phrygia
c. 170			
175	Eleutherius		

177				Martyres Lugdunenses
180		Commodus		Pantaenus docet Alexandriae. Celsus
189	Victor			Controversia paschalis
193		Pertinax Septimius Severus		
197				Tertulliani *Apologeticum*
199	Zephyrinus			
202				Edictum persecutionis
203			Origenes	magister scholae Alexandrinae
211		Caracalla		
213				Tertullianus montanista
217	Callistus I	Macrinus		Schisma Hippolyti
218		Heliogabalus		
222	Urbanus I	Alexander Severus		Hippolyti *Philosophumena*
c. 225				Tertullianus moritur
230	Pontianus		*Peri archon*	
235	Anterus	Maximinus		Hippolytus martyr
236	Fabianus			
237		Gordianus		
238		Gordianus Jun.		
244		Philippus		
246				Cyprianus conversus
249		Decius		Cyprianus episcopus Carthaginensis
250				Edictum persecutionis
251	Cornelius	Gallus		Schisma Novatiani
253	Lucius I	Valerianus		
254	Stephanus I		moritur	Controversia [illegible]
257	Sixtus II			
258				E[illegible] Cyprianus, [illegible] martyres
259	Dionysius			
260		Gallienus		[illegible]
268		Claudius II		[illegible] depositus
269	Felix I			

270		Aurelianus		
275	Eutychianus	Tacitus		Edictum persecutionis
276		Probus		
282		Carus		
283	Caius	Carinus		
284		Diocletianus		
296	Marcellinus			
303				Edicta persecutionis
304	*vacat*			Marcellinus martyr
305		Galerius		Diocletianus abdicat
306				Constantinus Caesar
308	Marcellus I	Constantinus		Augustus
309	Eusebius			
311	Melchiades			Galerius moriens fert edictum tolerantiae.
				Schisma Donati
312				Victoria Constantini
313				Edictum Mediolanense
314	Silvester I.			Concilium Arelatense
318				Arius incipit praedicare
324				Licinius devictus
325				Concilium Nicaenum
328			Athanasius	Episcopus Alexandrinus
330				Constantinopolis sedes Imperii
335	Marcus		exul	Synodus Tyrensis
336				Arius moritur
337	Julius I	Constantius	redux	Constantinus baptizatus moritur
338				Eusebius episcopus Constantinopolitanus
339			exul	
340				Eusebius Caesareensis moritur
341				Prohibentur sacrificia pagana
343				Concilium Sardicense
350			*Apol.*	Constans moritur
351				Synodus I Sirmiensis

352	Liberius			
353				Synodus Arelatensis
355	Felix (355-365)			Synodus Mediolanensis
356			exul	Synodus Beterrensis
357			*De fuga*	Synodus II Sirmiensis
358			*Hist. ar.*	Synodus III Sirmiensis
359			*De syn.*	Synodi Seleuciae, Arimini
360				Macedonius depositus
361		Julianus		
363		Jovianus	*De fide*	
364		Valentinianus		Valens
366	Damasus			Ursinus (366-367)
367				Hilarius Pictaviensis moritur
373			moritur	
374			Ambrosius	Episcopus Mediolanensis
375		Gratianus		
379		Theodosius	*De exc. frat.*	Basilius moritur
381			*De spir. S.*	Concilium Constantinopolitanum I
384	Siricius			
385	*Decretales*			Priscilianus occisus
386			*Cont. Aux.*	Cyrillus Jerosolymitanus moritur. Hieronymus in Bethleem
389				Gregorius Nazianzenus moritur
394				Victoria Theodosii Aquilejae
395		Honorius Arcadius	*De ob. Theod.*	
396			Augustinus	Episcopus Hipponensis
397			*Cont. ep. Fund.*	Ambrosius, Martinus moriuntur
399	Anastasius			
401	Innocentius I			
403				Synodus *Ad Quercum*
407				Chrysostomus moritur
408		Theodosius II		
410			*De un. bapt.*	Roma direpta ab Alarico
411			*Brev. collat.*	*Collatio* cum Donatistis

417	**Zozimus**		***De gest. Pel.***	
418	**Bonifacius I**		***De grat. Chr.***	
420			***Cont. mend.***	Persecutio persica. **Hieronymus moritur**
422	**Caelestinus I**		***De 8 Dul. q.***	
423		**Joannes**	***Ep.* 211 (regula)**	
425		**Valentinianus III**		
428			***De haer.***	Nestorius
429			***Op. cont. Jul.***	Vandalorum invasio in Africam
430			**moritur**	
431				Concilium Ephesinum. Paulinus **moritur**
432	**Sixtus III**			Patricius in Hibernia. Cassianus **moritur**
433				Cyrillus et Joannes concordes
440	**Leo I**			Isidorus Pelusiota moritur. ***Codex Theodosianus***
444				Cyrillus Alexandrinus moritur
449				Latrocinium Ephesinum. ***Epistola* Leonis**
450		**Marcianus**		Vincentius Lirinensis moritur
451				Concilium Chalcedonense
452				**Attila avertitur a Roma**
455				**Roma direpta a Geiserico**
457		**Leo I**		**Theodoretus moritur**
461	**Hilarus**			
468	**Simplicius**			
474		**Zeno**		
476		**(Basiliscus)**		Ruina imperii occidentalis
483	**Felix III**			
484				***Henoticon* Zenonis**
485				**Schisma Acacianum (485-518)**
491		**Anastasius I**		
492	**Gelasius**			
493				**Theodoricus rex Ostrogothorum**
496	**Anastasius**			Conversio Clodovaei
498	**Symmachus**			**Laurentius antipapa (498-505)**
503				**Synodus Palmaris**

514	Hormisdas			
517				Conversio Sigismundi
518		Justinus I		Finis schismatis Acaciani
523	Joannes I			
525				Boethius moritur
526	Felix IV			
527		Justinianus I		
529				Synodus Arausicana. **Regula Benedicti**
530	Bonifacius II			Dioscorus antipapa (530)
533	Joannes II			Finis regni Vandalorum
535	Agapetus			
536	Silverius			
537	Vigilius			
543				Benedictus moritur
548	***Judicatum***			
553	***Constitutum***			Concilium Constantinopolitanum II
555	moritur			Finis regni Ostrogothorum
556	Pelagius I			
561	Joannes III			
565		Justinus II		
568				Invasio Longobardorum
575	Benedictus I			
578		Tiberius		
579	Pelagius II			
582		Mauritius		
589				Conversio Visigothorum
590	Gregorius I			
594				Gregorius Turonensis moritur
597				Missio ad Anglos
602		Phocas		
604	Sabinianus			

607	Bonifacius III			
608	Bonifacius IV			
610		Heraclius		Sergius patriarcha Constantinopolitanus
614				Jerusalem expugnata a Persis
615	Deusdedit			
619	Bonifacius V			
622				Muhammed venit Medinam (*Hegira*)
625	Honorius I			
629				Exaltatio Crucis
633				Muhammed moritur
636				Isidorus Hispalensis moritur
637				Jerusalem expugnata ab Arabibus
638	moritur			Sergius moritur. *Ekthesis*
640	Severinus			
	Joannes IV			
641		Constans II		
642	Theodorus I			
648				*Typus*
649	Martinus I			Synodus Lateranensis
654	Eugenius I			
657	Vitalianus			
668		Constantinus IV		
672	Adeodatus			
676	Donus			
678	Agatho			
680				Concilium VI Constantinopolitanum
682	Leo II			
684	Benedictus II			
685	Joannes V			
686	Conon			Theodorus (687). Paschalis (687-692)
687	Sergius I			
692				Synodus Trullana

INDEX RERUM

INTRODUCTIO

PERIODUS PRIMA.

A Christo nato usque ad edictum Mediolanense Constantini.

CAPUT PRIMUM

Ecclesia tempore Apostolico.

CAPUT SECUNDUM

Ecclesia et mundus Romanus.

CAPUT TERTIUM

Hierarchia Ecclesiastica.

CAPUT QUARTUM

Disciplina Ecclesiastica.

CAPUT QUINTUM

Doctrina Ecclesiastica.

PERIODUS SECUNDA

Ab edicto Mediolanensi ad Synodum Trullanam.

CAPUT PRIMUM

Ecclesia et imperium Romanum.

CAPUT SECUNDUM

Ecclesia et Barbari.

CAPUT TERTIUM

Hierarchia Ecclesiastica.

CAPUT QUARTUM

Disciplina Ecclesiastica.

CAPUT QUINTUM

Doctrina Ecclesiastica.

Typis Godin Limitee, Mariapoli